STEPHANI FORCATULI ... DE FEUDIS COMMENTARIUS PERELEGANS...

ÿtienne Forcadel, Jean Pyrrhus : d' Angleberme, ...

STEPHANI FORCATVLI IVRISC. THOLOSATIS, DE FEVDIS COMMENTARIVS perelegans.

Item:

PETRI DE BELLA PERTICA, Iurisconsultorum Gallorum vetustissimi.

Accedit

DE LEGE SALICA COMMENTARIOLVS *Iohannis Pyrrhi* Englebermæi, Antecessoris Aurelian.

Nunc primùm in Germania in lucem editus.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,

MDCIII.

ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS DOMINIS, IOANNI & ANDREÆ FIRLEIIS, *Baronib. de Dambrovvicza, Dominis in Koczko, Woycza, Kozin, Holuby, Osmichovvicze, Hæredibus in Orla, Pazaiovv, Crupa, &c.*

S. P. D.

NVllius ferè rei præteritæ suauior mihi recordatio esse solet, Illustres & generosi Domini, quã itineris in patriã vestram nuper suscepti, & visorum regiorum, quæ exacta hyeme apud Cracouiam habita sunt, comitiorum. Ita me rerum locorumque & hominum varietas & splendor ceperunt, omnia denique visu dignissima contemplatione satiarunt. In primis verò maximè me recreauit Illustris parentis vestri D. ANDREÆ *Castellani Radomiensis*, nec non patrui

D. Iohannis Thesaurarii Regni, eximia quædam & omnino certãs cum summa magnificentia humanitas, qua me hospitem & exterum tam prolixè & benignè sunt prosecuti, vt eius memoriam, dum vita manebit, ex animo non sim dimissurus. Quo tempore memini illis de studiis & profectibus vestris sollicitè ex me quærentibus, vero pariter & longo relatu ea commemorare, quæ illorum votis planè satisfacere videbantur. Et certè quis non de indole illa, ab eiusmodi parẽte & genere profecta, eo modo ad omnem liberalem cultum educta, eximios fructus ausit promittere? Inter primos vtique Poloni nominis proceres FIRLEIORVM domus iamdudum enituit, & opibus, & rerum gestarum gloriâ, & continuatis honoribus florens: vt nullum ferè dignitatis genus in nobilissima illa Republica esse putem, quod non ex illa gente aliquis cum laude gesserit. Quæ spes in vobis, qui maiorum vestigia certo firmoque pede alacriter premitis, quî possit

possit deficere? Placet verò inprimis, quod optimo consilio & prudentissimo ductu præfecti vestri fidelissimi, *D. Salomonis Neugebaueri*, in eas potissimum artes vobis incumbendum statuistis, quæ ordini vestro & futuræ dignitati propriè conuenire videntur. Cum enim & ditionem peramplam ipsi à maioribus traditam possideatis, & in Republica loco esse nonnisi conspicuo possitis; secundum verum sincerumque Dei cultum, quas potius Philosophiæ partes præ illis amplectendas censuissetis, quæ ratione seipsum & alios regere docent? & quæ vtramque illarum plus etiam propemodum quam vllæ traditiones aut præcepta illustrat, illâ teste temporum, nũciâ vetustatis? In qua quidem quantum pro ea diligentia, quam vos in audiendo clarissimo illo Nomicohistorico *D. Grutero* nostro adhibere quotidie ferè cum voluptate obseruo, fructum sitis facturi, obscurum esse non potest. Et mihi quoque animus erat, qui omni opera & obseruantia

vobis acceptus esse cupio, hac in parte studiis vestris aliquid è nostra penu conferre: nisi intentū quibusdam id genus elaborandis, quæ sub manu erant, subitò demãdata illa ad Regem vestrum legatio quasi trãsuersum abripuisset. Dum tamẽ alia melior (quã spero) offeretur, vel hanc interea occasionem arripere visum est, vos publicè salutãdi in fronte horum libellorum Feudalium: quibus, quod vulgo minus cogniti essent, meo suasu excusis aliquid à me præloquii addi Typographus prope cum conuicio efflagitauit. Quos nec ipsos, si me auditis, ab instituto vestro alienos fore, asseuerare ausim. Vt enim vox illa Latinis auribus & antiquiori sæculo incognita, ita res ipsa ab omni ęuo in omni natione & imperio vsurpata, in omni ferè historia subinde occurrit, non illa tantum veteri GręcæRomanæque gentis, sed maximè medii æui ad nostram vsq; ætatem diuersa orbis Occidui regna distinguente. Neque vero à vestrę etiam gentis & reipublicæ ge-

œ genio iſta cognitio eſt aliena: imo (ſi bene rem cognitam habeo) ſola ferè iſta Iuriſciuilis particula in vſu apud vos verſatur. Cuius cum in aliis rebus minor vſus ſit, quod proprias & vernaculas leges, eaſq; (rem laude digniſſimam, & in magna regni felicitate locandam) non paullo Romanis ſimpliciores & apertiores habeatis; in illa certe dignitatum & beneficiorum ſerie, ſacramentorum fide & nexu, poſſeſſionum & prædiorum iure, præfecturarũ diſpoſitione, quin illa Italarum vel potius Germanarum legum ſuper feudis latarum cognitio & cõparatio veſtris reb. plurimũ lucis afferat, negari nõ poteſt. Vt. n. quę in veteri Imperio de Senatu & Magiſtratib. vrbanis & prouincialib. habẽtur, ad veſtrũ Regni Senatũ, veſtroſq; *Dignitarios & officiales, Palatinos, Caſtellanos, Capitaneos*: ita q̃ deinceps de diuerſi generis vaſallis, gaſtaldis, guardianis, redẽptorib. ad veſtros Burggrabios, Camerarios, Succamerarios, Zupparios: q̃ de valuaſinis, colonis, hilotis,

aldiis, leodib. ad veſtros Knuthones & Wladarios accõmodari non ineptè poſſunt. Iam verò quis neſcit, Poloniæ regnum, vt ipſum ſuperiorem alium non recognoſcit, ita magnos & potentes Duces & Regulos iure illo vaſallitio & beneficiali nexu ſibi obſtrictos deuotosque habere: neque alio de negotio à Principe meo iſtuc miſſus, ipſiusque & aliorum Germaniæ Principum amicas intercesſiones exponens, à Rege & Ordinibus cum fauentiâ auditus ſum. Vnde exiſtimare licet, cognitionem iuris huius, (quod non de aqua pluuia, aut ſtillicidiis, ſed de regnis & regalibus, principatibus, comitatibus, latifundiis; non de vicariorum peculiis aut mediaſtinorum libertorumve operis, ſed de clientum officiis, militum armis, dominorum beneficiis tradat; non in alta pace & otio per dictatores formularum & ſyllabarum aucupes excogitatum, ſed endo procinctu ſub pellibus, aut in agro hoſtico diuidendo per

Duces

Duces belli & emeritos milites adiumentum eſt) non tantum ordine & genere veſtro cumprimis dignam aptamque; ſed etiam in adminiſtranda republica, cuius partem cum annis veſtræ induſtriæ credendã non vanus augur coniicio, multo magnoque vſui eſſe poſſe. Quo magis, vt huic tẽporis & operæ aliquid conferre in animum inducatis, nõ tantum auctor vobis ſum, qui virtutis & doctrinę veſtræ incrementis vnicè faueo; ſed etiã ad id faciendum veluti blandimentis & illiciis quibusdam inuitare volui, ſubminiſtratis hiſce Gallorum Iureconſultorum libellis; qui cum præ aliis facilitate & perſpicuitate quadam ſunt amabiles, tum artem eius iuris è veris fontibus ita tradunt, vt politiora & elegantia multa ex Hiſtoriis bonisq; auctorib. miſcentes vtile dulci, magno lectoris bono ſubinde aſpergant. Quod mei animi, vobis profecto addictiſſimi, qualecumq; pignus vt boni conſulatis, mihique veſtrum illum fauorem & beneuolen-

tiam, quam merito amplector & exosculor, deinceps quoque & in vestris animis, & apud Illustres illos, patrem, propinquosque vestros, conseruetis, etiam atque etiam rogo. Valete Generosi Domini. Abrinsburgo, ex ædibus Plinianis, Kalend. Septembr. Anno Christi MDCIII.

MARQVARDVS FREHERVS,
Consiliar. Palatinus.

INDEX

INDEX CAPITVM TRACTATVS DE FEVdis Stephani Forcatuli.

I. *De præstantia feudorum, & consuetudinibus: & unde originem ducant.* Pag. 1.

II. *De feudi definitione, adquisitione, substantia, fidelitate, etymologia, distinctione, natura & accidentibus.* Pag. 21.

III. *Feuda præcipua qualia sint, vt Ligiũ, Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Quid Allodium, & feudum antiquum: & ab Emphyteusi differentiæ.* Pag. 47.

IIII. *De inuestitura faciẽda certis modis: & de seruo, de Ecclesia, de minoribus ætate, de rusticis.* Pag. 70.

V. *De succedentibus in feudis, siue mares siue fœminæ sint, ex liberis. Quid de ascẽdentibus, vel agnatis ex latere. Quid de prole illegitima.* Pag. 97.

VI. *De filio nato ante patris nobilitatem. De lege Salica, Morgana. De matrimonio & pactis circa illud. De legitima portione: de primogenitis: de successione ex pacto: de ingratis liberis.* Pag. 121.

VII. *Salica lex Francis Romanisque communis, num ad Ducatum extendatur. De muliere armis idonea & de descendentibus ex ea: atque de feudo dotali vel propter nuptias dato. Tum de pluribus hæredibus vasalli vel Domini.* Pag.139.

VIII. *De temporis præscriptione in feudis: quodq; feudum armis adquiratur & incipiatur. De fructibus, & eorum diuisione, & de incrementis prædio feudali obuenientibus.* Pag.160.

IX. *De apertura feudi ex felonia, vel negligentia, & aliis modis. Et de bello, in quod sequi Dominum vasallus debeat, iusto vel iniusto: & de desertione eiusdẽ interdum excusabili.* Pag.186.

X. *De felonia Domini in vasallum: item de illo redimendo. De cucurbitatione: de iniustitia alterutrius. De bannito, vel excommunicato, aut faydoso. De accusatione, patrocinio, & testimonio, prohibitis.* Pag. 211.

XI. *De alienatione feudi prohibita. Quid de parte regni. De iure prælationis: de pignoris datione, permutatione, & aliis.*

De

De inficiatione, refutationeque à vasallis facta. De corporis eorundem defectu. Pag. 241.

XII. *De actione ex contractu feudi nascente: & de pœnitentia in eodem. De probatione, de testibus, instrumentis, iureiurando, de iudicibus, de paribus curiæ; de laudamento.* Pag. 271.

INDEX CAPITVM PETRI DE BELLA Pertica.

I. Definitio feudi.
II. De sacramento fidelitatis.
III. Qui potest dare feudum.
IV. Quibus personis potest dari feudum.
V. Quæ res possint dari in feudum.
VI. Quibus modis constituatur feudum.
VII. Qualiter adquiratur feudum. (tur.
VIII. Qualiter retineatur feudũ & aliene-
IX. Quibus causis & modis feudum amittatur.
X. Qualiter feudum negligentiâ deperdatur.
XI. Qualiter perditur feudum per clericationem.
XII. Qualiter perdatur feudum inuasione.
XIII. Qualiter perdatur feudum refutatione.
XIV. Qualiter feudum perditur cessione.
XV. Qualiter feudum perditur alienatione.
XVI. Qualiter perditur feudum præscriptione.

XVII.

XVII. *Qualiter feudum perditur petitione seu vendicatione.*
XVIII. *Qualiter perditur feudũ captiuitate.*
XIX. *Qualiter feudo finito fructus pertineant Domino.*
XX. *Qui succedunt in feudo.*
XXI. *Qualiter qui succedunt in feudum, necesse habent petere inuestituram.*
XXII. *Quo iure petitur feudum.*
XXIII. *Quis sit iudex in causa feudi.*
XXIIII. *Qualiter vasallus à fidelitate & obædientia Domini liberetur.*
Accedit, de lege Salica, & regni successione, Commentariolus.

STEPHA-

STEPHANI FORCATVLI IVRISCONSVLTI in Feudorum iura, nobilis COMMENTARIVS.

Primo capite tractatur,

De præstantia Feudorum & consuetudinis; & unde originem ducant.

NOTABILIA.

1 *Iura moresq; feudorum quinq; eximiis adminiculis firmari, & de imitamento exemplorum ac iudiciorum.*

2 *Consuetudo an rationi contraria recipiatur, & quando legem superet, vel ab illa superetur.*

3 *Cur feudorum consuetudines potius quam leges dicantur, Mediolani potissimum, Longobardorum velut in sede.*

4 *An priscis Romanis feuda cognita fuerint, &c.*

5 *Consuetudo mox scripta an lex fiat; eius autoritas.*

6 *Falsò assignari ius non scriptum consuetudini potius quam legi lata.*

7 *Quomodo iusta consuetudo legem iustam aboleat; & è diuerso.*

8 *Mores an à consuetudine discrepent.*

9 *Feudorum consuetudines vt legum censeri: quid Palea in Decretis Gratiani; & qui feudorum autores.*

10 *Iurigentium ex multis moribus conflato feudorum originem deberi.*

11 *Feuda fuisse instituta bellorum caussa, & primo temporaria fuisse Ducibus quoque ac Comitibus.*

12 *Quod antiquissimis Gallorum, & postea Romanorũ feuda in vsu fuerint; & Vassalli nominis origo.*

13 *Rem meam mihi in feudum dari posse.*

14 *Quare pactum legis commissoriæ in feudo pignori dato, reprobetur, & aliis in rebus.*

CVIVSMODI fuerit id, quod Zeuxis pictor nobilis fecerit, quando Agrigentini tabulam in templo Iunonis Laciniæ dedicarent, vulgò compertum intelligo. Quinq; verò selegit eorum nudas virgines, vt id quod in quaque laudatissimum esset, penicillo & coloribus redderet. nihil secus mihi fecisse vidẽtur Feudorum industrii compositores, vt ius absolutissimum præstarent. nam legem Romanam primò æmulati sunt; mox Lõgobardorum: nec non regni consuetudinem, *cap. 1. de feudi cogniti.* quartò adhibuerunt autoritatem Imperatorum aliorumq; principũ nullius maiestati subditorum, *cap. 1. §. cum verò, de iis qui feud. dare poss. cap. 1. de vassal.*

qui

qui contra instituti. Lothar. reg. Quintò veteres ex rebus ritè iudicatis, colorem ſane quã floridum duxerunt, qui morem quoque exornare ſolet, *cap. 1. de eo qui ſib. vel hæredib. l. cum de, ff. de legib.* nec nos terreat, quod vulgò dicunt, *legibus, non exemplis ſententiam, eſſe iudicandam, l. nemo, C. de ſentent.* quia hoc attinet, vbi lex exſtat lata non ambiguè; verum vbi dubium emergit recens, iudicum pronũciata æmulamur, *l. 5. de manumiſſ. vindict. ff.* ita vt prudentiores inſequamur, cum varia obſeruatio apparet, *§. fi. de ſatisdati. §. fi. de ſucceſſ. fratr.* In Feudis *Laudamentum* paſſim vocatur lata in cauſa, feudi ſententia. *§. 1. de controuerſ. inter epiſcop.* Et quia in feudorum tractu, ac, vt ſic dicam, regione conſuetudo potiſſimum excellit, *d. cap. 1 de feud. cogniti.* Conſuetudinem titulum ei inditum conſulto putamus. quamuis alibi lex conſilio prudentum edita dignior imitata ſit. *l. 2. C. quæ ſit longa conſuet.*

† Sed hoc recipio, vbi nouus caſus accidit, qui vel legis vel conſuetudinis ſimilitudine definiri queat, iuxta *l. non poſſunt, ff. de legib. §. prædictis, quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.* plane ſi conſuetudo ſit poſterior, ſine dubio legem domat, tacitè ſerpens in populo, & adeo grata cunctis, vt eam ſcribi neceſſe non ſit, *l. de quibus, l. imo, ff. eodem.* quare ſæpe legem duram obliterat vel mitigat, *cap. 1. de alienati. feud. §. apparet. in titul. hic finitur,* 2

lex, deinde consuet. Sane nonnunquam à ratione paulisper luxat consuetudo, vt in conuentione, ne filii ab intestato succedant. § *filii, de feud. defunct. conten.* quia posterior cõsuetudo legi rationiq; detraxit: sicut prior, à lege superatur. *l. 1. C. ne fideiuss. docti vbi lex vno ictu legem aliã & morem iugulat. cap. nos Federicus, de statut. & consuet. §. fin. de alienat. patern. feud.*

3 † Verum in feudis frequentibus consuetudo victrix floret. & ideo à potiori liber nomen eduxit, vt æs Corinthium dicimus, cui aurum pretiosius quidem inest, sed quantitate inferius. *l. hæres, §. fin. de legat. 3.* Iuuerit nos §. *1. in quibus caus. feud. amittat.* vbi quã fideliter se gerere debeat vassallus erga dominum, colligi magis potest ex morib. quã ex legibus, maxime cum Mediolanensis curia diu aliquid vsurpasset. *d. §. fin. de alienat. pater. feud.* hæc est quæ appellatur consuetudo regni, *cap. 1. de feud. cognit. & tit. hic finit lex deinde consuetudin. regn.* Ideo quod Mediolani fuit olim sedes regum Longobardorum, quos Cornel. Tacitus *Longobardos* vocat in libro De moribus Germanorum, vbi penitus eos fuisse Germanicæ originis memorat. qui tandem imperante Iustino Iustiniani Aug. cõsobrino & successore, in spem venêre Italia potiundi, eamq; spem fouerũt multò magis Iustino defuncto, cum contumeliis affectus Narses Dux à Sophia Augusta, vt

ſta, vt ſe vlciſceretur, teſte P. Diacono, Longobardos iam in Pannoniam erũpentes accinit, & ipſis Inſubriũ oram tradidit, quoad Carolus Magnus circa annum Chriſti ſalutaris 776. Deſiderium regem Papiæ obſeſſum, bello ſubegit rogatu Adriani Papę, *can. Adrianus, diſt. 63.* ne miremur, ſi Gallia multas inſolitasq; voces feudorum à Lõgobardis acceperit aut eis dederit.

† Inde ius Romanorum præ conſuetudine Mediolanẽſi parum tutatur, cum ne feudum quidem illis cognitũ fuerit, prout conſtat ex caſtello agroq; ad fruendum ſemper conceſſ. *d § fi. in quib. cauſ. feud. amitt.* tametſi neceſſitudo quædam nõ leuis ſeruaretur inter patronum & clientem. *l non dubito ff. de captiu. l. 3, de vſu & habit. ff* id eſt, inter eum, quem vulgò *dominum* dicimus, vt è diuerſo *clientem*, in *cap. 1. de alienat. feud.* vocari patet vaſſallum, ſeu fidelem, *cap. 1. de contenti. inter domin. & fidel.* inde clientelas deducimus pro aſſeclis optimatũ, *l. 3. C. de offic. rector. prouinc.* & clarius in *l. vnic. vt nemo ad ſuum patrocin. ſuſcipiat ruſtican. lib.* x 1. *C.* quo Leonis reſcripto impoſterum ſæpiuſculè egebimus, & vbi cliẽs aduocatum non reſpicit ſeu patronum forenſem, vt *l. 1. C. de aduocat diuerſor. iudicum.* 4

† At licèt feudorum conſuetudines poſtmodum in inſcriptũ volumen peruenerint, tamen reſpectu originis non ſcripto iuri tri- 5

buuntur. *leg. 1. §. si verò, de imponend. lucrati. descript. lib. 10. C §. vendita. de rerum diuision.* & certum est feudorum iura sensim inualuisse, sine autore, sed tacita populi assensione. & quò magis non exstat moris memoria, eò magis tituli iusti loco habetur. *l. hoc iure. §. ductus, de aqua cotidi. ff. leg. final. ff. de aqu. pluuia ar* sic legum primordium non semel nascitur, tantum liquet eas scriptæ fuisse originis. adeo vt in *l. 2. §. 1. ff. de origin. iuris.* vix ausit asserere iurisconsultus Hermodorum Ephesium autorem fuisse Legum XII. Tabularum, nec quisquam nouit auspicem legis Titiæ ac publicę, qua permittetur sequestro aliquid pręmii collusoribus deponere, vt victori mox detur. *l. 3. ff. de alea lus.*

6 † Cæterum lex etiam iuris non scripti portio inuenitur, vt apud Lacedæmonios, quibus leges dedit Lycurgus literis minimè mandatas, sed memoriæ. Idque innuit imp. in § *ex non scripto. de iure natur.* vbi, pro *legibus vsurpari*, explico, pro eo quod est verè legum ritu. vt cum dicimus, pro hærede gerere, *§. fin. de hæred. qualitat.* quis enim Lycurgi leges dissimulet, ad Apollinis inuentum relatas? *can. Moyses. 7. dist.* præsertim quibus epheborum exercitatio iniungebatur, vt Pausanias refert in Laconicis, & lex Plutarcho in vita Lycurgi innotuit, qua aureus & argenteus nummus ferreo

reo cederet, & exolesceret. sic apud Gallos quondam Druides philosophi & iudices, vti Cæsar vidit, scripsitque libr. 6. de bello Gallico, suas præceptiones memoriæ tantum credebant, vt per manus traderentur posteris, sine scriptura; tamen Accursius si quando mores nominari videt in iure, exponit pro Laconum iure, *leg. 2. de vulgar. leg. 1. ff. de curatoribus.* cum mores, qui tacitè in vulgum irrepserunt, autore certo caruerint, potiusque populum ipsum autoré citent, quam quenquã e proceribus.

† Sed, inquiet aliquis, malè suspicari fas est de consuetudine, quæ legem abigit, & tollit consilio prudentium factam, *l. 1 de legibus.* vt quæ sit ratio summa in natura sita, prohibens contraria iustis, teste Tullio *lib. 1. de Legibus. can. erit, 4. dist.* Respondeo legem semper iustam videri, quia talem esse oportet. *l. pen. ff. de iustit. & iur. d. can. erit.* sic iudex dicitur quasi ius dicẽs, ab Isidoro, *cap. forum, de verbor. signif. leg. 1. de iuris. ff.* tamen plerunque deprauatur errore aut malitia, *leg. 1. ff. de appellati.* sic permultæ leges duræ extiterunt & immanes, *leg. si C. de incest. nupt. leg. fin. C. de infirm. pœnis cœlib.* aut primo ad normam ęquitatis latæ, progressu tẽporis iniquitatem attigerunt. *l. 1 C. de caduc. toll.* vbi quod belli suaserat necessitas, pacis lenitas dehortatur. *§. 1. in Auth. hac constitutio innonat cõstit. col. 8.* sed non est singu- 7

lorum ciuium legem aut cõsuetudinem duram & impiam abrogare, imò solius principis. *l. prospexit. ff. qui & à quib.* §. *fi. de alien. feud. l. imperatores. de pollicit. ff.* ad quos puto spectare id quod iactatur, veritati cedere cõsuetudinem, *can. veritate. 8. dist.* Quid enim si tempus aut locus duritiem legis dulcem expositio dicat, vt scilicet per multos deterreat à gliscentibus delictis. *l. aut facta.* §. *pe. ff. de pœn. l. 1. C. ad legem Iul. repet.* vnde Pittacus sapiẽs ebrios, quibus aliâs lex est benignior, *l. omne.* §. *per vinum. ff. de re milit.* duplici pœna multauit, sic notat Laërtius; quia in Mitylene insula complures temulenti deprehenderentur.

8 † Non erit otiosum dispicere, an mores à consuetudine differant; quia Iulianus ait, quicquid moribus & consuetudine indictũ fuerit, deficiente lege seruari. *d. l. de quibus. ff. de legib.* Varro vtique apud Macrobium notat, morem esse in iudicio animi, quẽ sequitur consuetudo. & illic Iulianus ait, consuetudinem esse id ius, quod sit moribus cõstitutum. Verum alibi diuturni mores consuetudoq́; confunduntur. *l. diuturna, ff. de legib.* §. *ex non scripto, de iure natur.* & sic effectus morum, id est, cõsuetudo pro ipsis moribus vsitatè capitur; vt acquisitio dominii, qui effectus est vsucapionis, pro ipsa vsucapione. *l. 3. ff. de vsucapionib.*

9 † Quo minus autem feudi cõsuetudines vim

vim legis habuerint, priusquam eas partim in Gallia desuetudo infuscaret, non dubito, saltem instar canonum, qui in Gratiani Decretis autore carēt, & paleę inscriptione donātur: quia vt Latinis antiquum, pro charo & venerabili sumitur, *l. 19. §. filius. ff. de captiuis.* sic *palaeon* Græcis, vt apud Homer. lib. 2. Odyss. παλαιά τε πολλά τε εἰδώς, id est, *antiqua multaq; sciens.* Lucianus hunc æmulatus, inquit, παλαιά τε μωρά τε εἰδώς, id est, *antiqua & stulta sciens.* vt indicet à stultis antiqua discrepare, nisi quis de viuo loqueretur, non de veterum sanctissimis institutis vetustate ipsa commendandis. Eò spectat illud Quintiliani lib. 10. cap. 1. *Ennium*, inquit, *sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem, scio quædam præ nimia antiquitate exolescere, & nugis anilibus adnumerari.* Sed non fuit ea mens Gratiani, vt autoritatē canonis & sensus titulo deteriore minueret. hinc feudorum volumen consuetudine prisca nobile vi & potestate claruit. quoniam quicquid imperator confirmat, cuiusque autoris illud sit, ratum est legisq; potestate nititur. *l. 1. §. sed neque. C. de veter. iur.* nec quisquā fastidit Alpheni Vari doctissima responsa, quod à sutrina & calceis abiecto instrumento artis clausaque taberna, vt scribit Horatius lib. 1. Sermonum satyra 3. Cremonâ relictâ Romam iuerit de

iure responsurus feliciter. vbi præceptore vsus iurisprudente Sulpitio, consul euasit, sicut Acron notat. nec Mantinenses Nicodori constituta, quod è pugile legislator euasisset, repudiauerunt, vt notat Ælianus. Nos quoque amplectimur Oberti de Horto & Gerardi Capagisti scripta & placita in feudorum tractatione, tanquam ab vsu & à Cæsaribus approbata. Non enim magis ipsi tradiderunt, quid aliis prudentibus videretur de re tota, quàm noua suo Marte introduxerunt, consulti & prudentes dicti in *cap. si de feud. vassal. ab aliquo interpellatus.* præcelluere enim autoritate & iudicio aliis feudorum autoribus sine nomine hactenus relictis, *cap. 1. de feud. famin. cap. 1. hic finitur lex.* planè hi duumviri feudales quibus prudentiam facile concesseris, iuris ciuilis argutias adfuisse non diffiteare, primores fuêre curiæ Mediolanensis, vt constat ex *cap. 1. & §. illud. quæ fuit prim. cau. benefic. amitt.* vbi autor filium, ad quem solitus erat scribere, alloquitur, & Mediolanensem curiam vocat suam, *§. 1. in quibus caus. feud. amitt.* vbi Anselmo nomen fuit filio Oberti. ex cuius scriptis rudiusculus pro tempore, velut aurum ex sterquilinio valeas colligere, vt de Ennio dicebat Virgilius. adeò verò his viris tributum fuit, vt æquitate duce consuetudini restiterint: quod non nisi summo legumlatori concessum scimus,

cap.

cap 1. an maritus succed vxor. § *fin. de iis qui feud. dar poss* antiquarum igitur consuetudinum freti iuris dandi facultate, vt superius explicui.

Accedit, quod Lotharius imperator, sub quo Europa iure ciuili frui cœpit Gothorum irruptione antea reiecto circa annum Christi nati 1128. constituit nouè nulli licere vassallo feudum feudive portionem inscio domino alienare, vel pignori dare, *cap. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar.* vbi cõsuetudo aboletur aliter permittens, atque obseruatio libelli partem feudi pro vili annua pensione alienare sinens, *capite primo, de de alien. feud.* igitur in reliquis capitalibus non reprehendens Lotharius feudorum constitutiones roborauit. *leg. cum prætor. ff. de iudic.* præsertim quod autor *d. cap. 1. de alien.* Lotharii prohibentis nuperrima sanctione mentionem facit. Conradi quoque post Lotharium imperantis multa mentio est, in *titul. de lege Conradi,* & §. *cum verò. de iis qui feudum dar. poss.* nisi forte hic Conradus antiquior extitit: duo enim eius nominis eum præcesserant. Sed de Federico Conradum III. sequente, dubium non est, quin instar Lotharii feudi mores iuraque firmarit, *capite primo, de prohib. alienat. per Federicum* multò magis Pontifex Romanus Alexander III. Federico Imperatori alioquin infensissimus Mediolanensib.

odioſo: attamen feudi iura ex more ſeruari iubet, aut imperatoriæ cognitioni ad extremum reſeruari, *cap. 6. & 7. de foro competen.* taceo conſtitutiones Lotharii Romæ conditas ante veſtibulum D. Petri, dicatas Eugenio Pontifici III. *lib. 1. feud. tit. 19.* propterea quod de ipſis dubitat Accurſius illic; nec ſine cauſa, cum Eugenii non Lotharius Aug. ſed Conradus III. æqualis fuerit, ſucceſſor & gener Lotharii. At is qui Alexandro III. ſucceſſit Lucius III. homagium fieri vetat pro re ſpirituali, *cap ſi de regul. iur.* tametſi in *lib. 3. legum Lōgobard.* inuenire licet Lotharium ad idem limen D. Petri Romæ tempore Eugenii capitula legū promulgaſſe, quorum illud eſt, ne mortuo Pontifice deprędari liceat in vrbe Roma.

10 † Cum quæritur vnde originem traxerit feudorum fœdus & nobilis conuentio, in qua res immobilis datur fruituro in perpetuum propter obſequia legibus moribusq; conſtituta, in prōtu eſt vt dicamus inde manaſſe, vnde dominationes & verę ſeruitutes ortæ agnoſcuntur, id eſt, à iure gentium, *l. ex hoc, ff de iuſtit. & iure*, vbi bella quoq; eidem iuri debentur. Itaq; propter bellorum præmia, vel vt benemeritis ſatisfieret, vel vt impoſterum ad arma ꝓ patria gerēda homines accēderentur, feuda cōſtituta ſunt, poſtquā præmiis ad virtutem quilibet inflammatur, *l. 1. ff. eod.* accedit quod ſeruus inueſtitur. §.

perſo-

personam, per quos fiat inuesti. ideo iuris gentium est in ea parte, in qua mirifica solennitas desideratur, *l. an inutilis. § fi. de acceptil. ff. cap. 1. quid sit inuesti.* & amplius mox dicam, commodius etiam. Nō ignoro id quod iam pupugi, plerosque feudum referre ad necessitudinem priscam patroni & cliētis, de qua multa Dionys. Halicarnasseus li. 2. Antiquitatum: Romulus, inquit, commendauit patriciis plebeios optione cuique data, vt horū quiuis patronum sibi eligeret; mos sanè antiqu⁹ Thessalis & Atticis vsurpatus, sed Romæ receptus. in melius illi namq; superbè clientibus vtebantur tāquam mancipiis, vsque ad verbera. hos Athenienses vocabant *Thetas*, ob ministeria: Thessali *penestas*, exprobratione, inquit, fortunę. bello enim captos fuisse inde constitit, ex quo prima fluxit seruitus. at patroni Romani id pręstabāt, quod nomini quadraret tuitionem & consilium & propulsationem iniuriarum. vicissim clientes captos bello patronos adimebant, locabant inopum filias. nefas erat prętereà alterutris accusare alteros, nisi lege proditionis à rege lata teneri mallent. certè si quis huiusmodi officia vltrò citroq; præstita consideret, accedet cursim meę sententiæ: nec iuri Romano deberi dicet initium tanti fœderis, sed iuri gentium: postquam vbiq; pręmia ratione militię tributa intelliguntur; & inde feuda profecta sunt, vel recō-

ciliationis ineundæ causa. Tantoperè, inquit Cicero lib. 1. Offic. apud nostros iustitia culta est, vt ii qui ciuitates aut nationes deuictas bello in fidem recepissent, patroni essent more maiorum: & quamuis ager manu captus ad victorem pertineat, §. *item ea*, *de rer. diuis. l. Lucius. ff. de euicti.* tamen honoris & humanitatis gratia veteri possessori meliore fortuna digno, prædia sua aut pars eorum permittebantur. *leg. item si verber.* §. *item si, ff. de rei vendication.* sicut Maroni Mantuanus fundus redditus est, qui Ario centurioni cessaret, vt præmii gratia inter milites suos distribueretur, iuxta *l. in agris, ff. de acq. rer. domin.* vbi liquet quomodo ager captiuus aut assignari soleret militibus victoriæ participibus, aut ciuitati alicui destinari, vel partim vendi. quod Iulius Frontinus affirmat in libro De limitibus. inde illa contentio definita apud Iosephum à Dauide lib. 7. Antiquitatum, vtrum ii qui impedimenta seruarent, prædę partem æquè acciperent, atque qui prælio dimicassent, quod more obtinuit. nec dubium est, quin Themistocles à patria ingrata perfugiens ad Persas, apud quos multa fortiter gessisset, tres ciuitates dono acceperit. Neanthes addit duas, haud dubiè ea lege datas, vt regiam maiestatem veneraretur pro beneficio. Ne quis putet res mobiles strenuis militibus duntaxat donari solitas variorum

gen-

tium, qui fuêre ad res soli liberaliter erogatas extensi, ac simul prohibiti, si in fisci priuatorumve iniuriam munificentia potentioris viri resiliret. *leg 1. C. vt nemo ad suum patrocin. suscip. rusticanos 12 libro.* Atque tot mores vndique collecti & cumulati ius gentium perficiunt, vt expressè habetur in *leg. omnes ff. de iustit. & iur.* quod velim ab aliis perspectum fuisset, qui cum primùm morum mentionem audiunt, nihil citius habent quàm ius ciuile inuocandum: sed aliter ex Virgilio colliges libro 7. Æneid.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluêre sacrum: nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima mouent in prælia Martem.

Subiicit eum morem, qui paulatim adeò serpserat à natione in nationes, in bello indicendo ritè versari, vtque legatis hostium indemnitas præstaretur iure quidem gentium. *leg. final. de legation. ff.* itaque cum ob caussam belli, vel ob consequentiam feuda, patrocinia, clientelæque inductæ fuerint, ad ius gentium pertinebunt, non ad Quiritum tantum; licèt apud alias atque alias gentes non vno modo custodita fuerint. *§ vendita de rer. diuision.* & apertius in *leg. 19. ff. de captiuis.* nam & seruitus à bello orta est, & à mancipiis manu militari captis, *leg. libertas. ff. de stat. homin.* tamen quisque fatebitur seruos ex ancillis nasci.

licèt patre libero. *l. & seruorum.ff.eod.*

11 † Sic feuda bellorum occasione inchoata, deinde in pace munificentia aliqua cœperunt institui, verum armorum intuitu faciunda inuestitura, ne prorsus degenerent à natiua origine, *cap. 1. de feud. fem. cap. 1 de vassal. milit. qui arm. bell.* vbi eo ipso se feudo miles abdicat, quod clericus fact⁹ cęlesti militiæ se dedicauit. non igitur Longobardorum recens natio, si vetustissimis illis comparetur, feuda inuenit; quin imò inuēta primum diminuit ac fragiliora reddidit, nisi serò post instaurasset: cum feuda pro nutu domini reuocabilia fecisset, vel vita vassalli terminasset. §. *& quia. de iis qui feud. dare poss.* deinde serius factum fuit, vt in Ducatu vel Comitatu filii succederent. §. *fi. de alien. feud.* Duces namque & Comites proconsulum Rom. instar regio nutu subinde reuocabātur. *l. meminisse, ff. de offic. procōs. l. fi. C. de offic. magistr. milit.* etiam Comes stabuli, qui in Francia *Connestabilis*, à stabulo & equitatus præfectura nuncupatur. *l. 1. de comitib. & tribun. lib.* XII. *C.* atq; versatilis hæc commutatio Ducum & Comitum ad Carolum vsque Magnum perseuerauit, Mediolanis morib. imbutum post victum regem Desiderium. quamuis vetus illa clientela sine territorio obsequii plena perennis esset, quoad contigisset potentiorum auxilio tenuiores destitui, vt Iulius Cæsar refert lib. 6. de bello Gallico:

lico: nec Budæus obticuit. Scio quibusdam placere Hugonem Capetum, vt conciliaret procerum animos ad potiũdum procliuius regno Gallorum, deficientibus Caroli Magni posteris, è temporariis perpetuas reddidisse dignitates. Cæterum constat Capetum prudẽtia felicitateq; præditum Capeto Latinorum rege Capys filio nulla virtute inferiorem, Comitẽ fuisse Parisiorũ permanus accepto honore feudóque à patre Hugone Magno, pariter Comite, & Roberti Comitis filio, atq; Eudonis Comitis fratre, altero Roberto Comite Andegauensi geniti, vt fidelissimè annales testãtur circa annum 891. à Christi salutiferi natiuitate & deinceps. Robertum autem antiquiorem non solum Comitem Parisiorum, sed etiam Marchionem Francorũ vocatum tradidit Annonius lib.5. in histor. Franc. cap. 34. hoc est, regni capitaneum, *cap. 1. lib. 1. Feudor.*

† Sed redeo ad Cæsaris locum; vix scio an satis hactenus intellectum, sub cuius cortice puto latere medullam Feudi in rebus immobilibus cõsistentis & nondum planè cogniti, vtpote præposteri: eò quod non tam res accipiantur à vassallo quàm dentur, & addicantur iure proprietatis ipsi domino; ita vt res sua alicui in feudum migret. In Gallia, inquit, non solum in omnibus ciuitatibus atque pagis partibusque, sed penè etiam in singulis domibus factiones sunt: 12

earumq; factionú sunt principes, qui summam autoritatem eorum iudicio habẽt. idque eius rei causa antiquitus institutum videtur, ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. Suos enim opprimi quisque & circumueniri non patitur: neque aliter si faciat vllam inter suos habet autoritatem. Subdit Cæsar, in Gallia alterius factionis principes fuisse Heduos, alterius Sequanos, sed debiliores, quòd magnæ essent Heduorum clientelæ. & paulò post: In omni Gallia eorum hominum, qui in aliquo sunt numero atq; honore, genera sunt duo: nam plebs penè seruorum habetur loco, quæ per se nihil audet & nulli adhibetur consilio. plerique, cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicãt nobilibus; in hos eadem omnia sunt iura, quæ dominis in seruos. ecce, qualiter clientes seu vassalli non fortunas suas tantum, sed etiam personas potentioribus addicerent, vt in tuto esse possent aduersus aliorum impotentiam, & à protectoribus patronisq; suis bona propria tenere fatebantur, parati ad omne obsequium, non in Gallia tantum, sed etiam in orbe Romano. vnde qui clientelis multis pollebãt, eò prosiliebant audaciæ, vt aduersus principem insurgerent, & tributa pendere obnegarent. ideo hoc genus feudi prohibuit Leo Aug. lib. 11. *C. vt nemo ad suum patrocini.*

trocin. suscip. rustic. l. 1 apertius Iustinian. *in §. patrocinia; de mandat. princip. col. 3.* vbi nescio quid parum tempestiue affert interpres de patrocinio forensi & litium, nō animaduertens feudum describi, vetitum illicito commercio in principis inuidiam, ne complures numero clientum stipati ceruices insolenter erigerent. quos *vasallos* vsus dicit & *vassos* antea, vt Imper. Carolus in *leg. Longobard. tit. ne ad regem venientib. iniuria fiat,* & aliis in locis frequenter. Sanè clientes vndique colligere fuerat olim in Gallia permissum, cum non vnius prospero imperio, sed variis gubernatorib. regulisq; subiiceretur.

† Et cùm sine fraude fas sit cuique suam 13
rem desinere possidere, quam retinet, & eā transferre in alium, quam interim conductionis iure vel precariò tenere incipiat ismet, qui dominum nouè sortitur. *l. quadam mulier, ff. de rei vendication.* & satius est potiori violentoque viro, aut de quo dubitari possit, ne superet in iudicio proprietatis, si ad forum res venerit, prædium meum vili vendere vel donare ea lege, vt rursus ab eodem conductum habeam vel feudi titulo, quam prorsus eo carere. Similis prudentia describitur in *l. si in emptione, §. rei suæ, de contrah. ff.* & ideo in *d. l. vnic. vt nemo ad suum patr.* Leo meminit venditionis, donationis & conductionis plurimum opitulatur his *l. si aliquam. ff. de acquir. poss.*

14 † Hæc certe vera sunt, vt videlicet res futuri vaſſalli propria in dominum transferatur, ita vt rurſus iure feudi ad dãtem redeat, vel Oberti teſtimonio, in *cap.* 1 *de feudo dat. in vicem legis commiſſ.* vbi vnus tantum caſus excipitur eiuſmodi conſtitutionis feudi, cum ſcilicet pignori obligatur res alicuius pro certa ſumma pecuniæ creditori, ſi ſtatuto tempore non luatur, ea creditoris ſit: & eam, inquit, pro feudo habeat, nempe debitor, cum res iam eſſent in dominio creditoris: niſi iure ſingulari talis pactio reprobaretur in pignoris datione. *l. ſi C. de pact. pignor.* igitur ius commune diuerſum admittit ſine dubio. nec mirum, cum debitores egentes pecuniis quæuis pacta aſſuant datione pignoris, illecti ſpe plerunq; vana pecuniam alicunde faciẽdi intra aliquot temporis ſpatium. quo circa eos miſerans ius ciuile pacta vltra naturam contractus creditori nimium fauentia refellit. *l. 1. C. eod.* vt alibi dixi de *l. ſi creditor. §. fi. de diſtract. pign. ff.* ſic reprobatur ſimilis cõuentio, per quam creditor in feudum rem obligatam eſſet retenturus, differente debitore repignerationem. §. *fin. de capitan. qui cur. vendid.* vbi eleganter vtrumque exprimitur.

CAP.

CAP. II.

De feudi definitione, acquisitione, substantia, fidelitate, etymologia, distinctione, natura & accidentibus.

NOTABILIA.

1 *Feudi succincta definitio.*
2 *An feudum pretio comparetur, vel sit vbique gratuitum.*
3 *In rebus immobilibus feudum cōstitui. quid de feudo* cauenæ *vel* cameræ *sentiendũ, & de tessera.*
4 *Penes quem dominium feudi resideat.*
5 *An in feudo propriè vassallus vsum fructũ habeat, cum transeat emolumentum ad hæredes.*
6 *Perpetuitas fruendi videtur hodie de feudi ipsius substantia.*
7 *Feudũ Guardiæ & Castaldiæ temporarium meritò fuisse, & sæpe sine iurata fidelitate. & numero* 18.
8 *Fidelitas tactis sacris iurabatur, sed excepta persona regis vel Cæsaris.*
9 *In sacramento litem decidente sacramentales miro ritu adhibebantur duodecem.*
10 *Feudum vnde dici incœperit: & an sine iureiurando fidelitate consistat.*
11 *Feudum francum an in iure inueniatur.*
12 *Recti feudi naturã perfectam pactione mutilam fieri.*

13 *Non potest conueniri, ne de felonia aliquis queratur: & ob neglıgētiam feudo quem priuari.*

14 *Quid dicendum de pacto, ne vassallus expellatur.*

15 *An pacta præter naturam feudi valeant in* §.fi. quid sit inuestit. *& quis illa probare teneatur.*

16 *An pensio feudis adiici queat. quid sint* hostenditiæ, soldata, *& alia id genus, & quid* hostem facere.

17 *Homagium vnde dicatur: item* Oblia vulgaris & pædagium.

18 *Vassallus, vt etiam dominus, non conuenitur vltra quam soluere possit, deducto ne egeat.*

1 † FEudi definitio traditur ab Oberto in §. *fin. in quibus caus. feud. amitt.* vt sit beneficium rei immobilis retenta proprietate cōcessæ, vt vsus fructus in perpetuum in accipientem eiusque hæredes transeat, propter fidelitatem. quæ definitio mihi videtur instar philosophiæ aliarum increpare vanitatem, si modo nihil cauillemur, & singulatim perpēsis verbis illam persequamur. *Beneficium* primo habet tanquam genus, vt ibidem ex Seneca Obertus memorat. nam in genere, beneficium est actio beneuola, gaudium tribuens capienti: quia inuito nemo confert beneficium. *l. inuito. ff. de regul. iuris.* nec debet inquiri, cur aliquis nolit oblatam

rem

rem accipere. *l. quia poterat. in fin. ff. ad Trebellianum.* inde oritur maxima vtilitas vassallo, vt possit feudum respuere & refutare, si onerosum arbitretur, propter seruitia fructum excedentia, *cap. 1. si vasallus contra constit. Lothar.* iam enim incipit non esse beneficium postquam eius tædet vasallum: secus quandiu eo sibi placet, quamuis sterili. *l. statina, §. fin. de vsufr. ff.*

† Verum huic sententię obsunt varia feudorum capita, in quib. vassallus pecunia feudum emptitat, *cap. 1. de feud. guard. & castal. cap. 1. de inuestitur. in marit. fact.* nam & dum priuatur feudo vassallus, iubetur eidem pretium, quod à principio numerauit, restitui à domino, *cap. 1. de natur. feud.* vbi non pauca congerit Accursius: & mox obiicit *cap. 1. de feud. dato in vicem leg. commissor.* vbi feudum amore & honore domini acquiri debet, nõ prætextu pecuniæ. Cæterum ibi non tractatur de domino designato accipiente pecuniam à vassallo, sed de dante, improbata lege commissoria in pignore, vt iam ostendimus: cum vero dominus vendit feudum conuentione sanè quàm licita, aliud iuris statuitur, nec reiicitur lege vẽditio; nec itẽ propterea beneficium esse desinit, quale appellatur quoque in *cap. 1. de inuestitur. de re aliena f.* & apertius in *cap. 1. de benefic. fratr.* prompta ratione, quoniam pretium tam modicum datur, vt vassallus lucrum magnum facturus

ſit, miſta liberalitate cum venditione vera, *l. ſi quis donationis, ff. de contrah. empt.* hoc innuitur in §. *fi. de iis qui feud. dar. poſſ.* vbi valuaſores aliquid propter feudum acceperũt, id eſt, modicum, vt ſubiicit pro pretio: ſic capitur aliquid, *l. ex conducto, §. pen. ff. locat. l. 1. §. item ſi, ff. ad leg. Falcid.* Nihil em entitum affero, quia cum vaſſallus promittat, dum emit, ſe preſtaturum ſeruitium domino, ſubiecturumq; corpus ſuum in domini defenſionem, minoris empturus creditur ſine dubio, quaſi pactum ſit pars pretii. *l. fundi. ff. de cõtrahend. empt. l. ſi venditor. §. fin. de ſeruis export.* Quod ſi obiicias nullum ergo feudum eſſe beneficium, cum vaſſallus remuneraturus ſit dominum mille obſequiis, non ſine periculo belli adeundis, vt *tit. 5. lib. 1. feudor.* Reſpondebo, periculum in incerto pendere, an dominus aliquãdo belligeret, vel vaſſallum adiutorem accerſat, ſed in promptu eſſe, fructum etiam videri æſtimatione vaſſalli, quamuis plus oneris ſuſcipiat, *d. l. ſtatua. ff. de vſufr.* accedit, quod donatio non propterea munificentię nomẽ amittit, quia vrbanè honeſtam remunerationem opperitur. *l. 1. §. 1. ff. ſi menſor falſ. mod. §. adeò, de locati.* vel quod pacta quædam in donantis gratiam adiuncta continet, quæ niſi donatarius ſeruet, ingrati pœnam ſubit. *l. fin. C. de reuoc. don.* ſicut & vaſſallus, §. *ſed nõ eſſe, quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.*

† Se-

† Secundò, *rei immobilis* fit mentio, ne 3
quis putet in pecuniæ ſumma vſurisve eius
annuis feudum verſari, re fungo quolibet
fragiliore, & illuſtribus viris infructuoſa
quibus lex tantum vſuras trientes, id eſt, in
centenos nummos anno quouis nummos
quatuor exigere permittat. *l. eos. §. ſuper. de
vſur. C.* quin etiam milites vetet negotiari, *l.
1. negotiatores ne milit. lib. 12. C.* atqui feuda ar-
morum cauſa inducta perſuaſimus, & in hac
definitione tādem amplius oſtēdemus. Ni-
hil oberit feudum *cauenæ*, id eſt, ius perci-
piendi in ſingulos annos frumētum aut pa-
nem ex horreo principis vel alterius domi-
ni, de quo in §. *ſi vero vaſſallus. quid ſit inue-
ſtitur*. nam hoc cenſetur immobile. §. *fi. de
feud. cognit.* vtrobiq; idem ſtatuitur, de feu-
do cameræ, id eſt, conclauis illius ſecretio-
ris & fornicibus extructi, in quo regum the-
ſauri cluduntur exemplo fiſci, & vacuati de-
nuo replētur, vt perpetuitas quædam indu-
catur ſubrogatione rerum, *l. proponebatur, ff.
de iudic. cap. 1. de notis feudor.* vbi pulcher lo-
cus huc pertinēs inſpicitur. vnde Federicus
Auguſt. multat pacis violatores centum au-
ri libris cameræ ſuæ inferendis, §. *ſi quis verò,
de pace tenend. inter ſubdit. & §. fi. qui ſint re-
bell.* & quia cameratum opus inſtar cęli con-
nexum plerunque ad theſauros regales re-
ponendos extruebatur coctili latere: later-
culi nomen vetuſtius retinuit ſub quęſtoris

cura. *l.1.& 2.C.de offic. quæstor.* vbi etiam erat scrinium rationibus scriptisque publicis dicatum, sicut in æde Saturni tabulæ publicæ in ærario recondebantur, teste Plutarcho in Problematis, *d.l.1* Sane olim quoq; pro cóperto erat, tales pensiones bonis immobilibus aggregari. *l.1.§.exactio.C.de rei vxor.acti.* cum cauena seu camera immobilis sit nunquam defecturos reditus fundens à principis vel Reip. facultate, subinde instauratos suffecto fruméto, vel auro vel panibus ciuilibus, vt in *l cum tabernam, ff.de pignor.l.si.§.prætcrea, C.de iure dot.* & ego admodum puer scripsi de tesseris frumentariis Romæ distribui solitis, ita vt qui tesseram pro signo ostéderent, descriptos in eo panes vel triticum acciperent; & hoc ius percipiendi reditus emebatur à publico, *l.sed & si suscep.§.1 ff.de iudic.* vbi Budæus. Nec obest quod ait Paulus *in l. Titia Seio, de legat. 2.* legatum tesseræ in quantitate consistere, non in corpore; ex quo sequitur mobile vt quantitatem censeri. Quoniam prouentus & perceptio frumenti mobilis est, non ius principale perceptionis; vel aptius dico ibi pretium emendæ tesseræ in quantitate euidenter versari antequam ematur. Quare si legatarius tesseram nactus fuerit aliunde viua testatrice, titulo quamuis lucratiuo, post eius mortem rursus eidem legatario pretium tesseræ pręstabitur; secus postquam iam empta fuit

tesse-

tessera, & radices egit, cum inter rem & rei pretium multum intersit, *l. ex pecunia, C. de iure dot.*

† Tertiò adiecit Obertus proprietatem 4 retineri penes eum, qui dat feudum, cum vbique dominus appelletur; & cùm duo non possent esse domini eiusdem rei in solidum eodem momento, *l. si vt certò. §. si. ff. cōmod.* atqui vassallus nō est dominus, cùm seruitium exhibeat, & cùm liberè disponere de feudo nequeat sine consensione eius à quo accepit. §. *pen. de prohib. alienat. per Lothar.* quod est contra potestatem veri dominii, *l. in re mand. C. mandat, §. per traditionem, de de rer. diuis.* At dices, nec posse dominum feudi ipsum auellere à vassallo sine causa. *c. 1. de natur. feud.* fateor vtique; sed ex hoc magis probatur eius dominium, quod licuit rei suæ ab initio legem dicere, & rem transferre libere pro obsequiis futuris: nā & rei cōmodatæ dominiū retinemus, tamen ante finem vsus in quem concessa fuit, non licet eā intempestiuè reuocare. *l. rei, ff. commod. l. in commodato, §. sicut, eod.* Similiter de re locata dici cōuenit. *l. non solet, ff. locat.* idē de perēni locatione quam verius *emphyteusim* vocamus, vbi asserit Iuriscōsultus emphyteutam priuari alicuius hominis vel municipii, non esse dominum, quamuis habeat in rem actionem, *l. 1. §. fin. ff. si ager vectigal.* scio vulgò fingi vtile dominium in emphyteuta,

inutili penitus cõiectura, forte propter vtilem in rem actionem, *l.1.§.quod autem de ſuperficiebus*. ſed hæc non ſunt ſimilia, cum vtilis ea ſit actio, quæ ex æquitate deſcendit vltra verba legis, ex quibus directa oritur *l.2. item Varus, de aqua pluui*. at vtile dominium nec verbis, nec ſententia legis æquitatisve naſcitur, cum iuriſconſulti imitati Vlyſſem Homericum lib. 2. Iliados, illud habuerint in ore: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω. Hoc eſt, *non eſt bonum multorum dominatus, vnus ſit dominus*. ſaltem pro ſolido, *l.penult.§. pater. de caſtrenſ. pecul*. at fingere vtile dominium eſt eludere legem & effectu priuare, & fructuario inſurgendi prebere materiam. Adeo quidem vt princeps in ſuos emphyteutas dominium trãsferat, & ipſe cenſu ſolito contentus, dominio carere velit, abundè alia ditione refulgens, & in minutis dominari negligens, *l. fundi. l. vniuerſi. de fundis patrimonialib. lib. 11. C.* proinde vaſſallo non rei vendicatio, ſed quaſi in rem actio competat, *cap.1. verſ. rei autem, de inueſtit. de re alien*. Et eò magis proprietas reſidet penes
5 dantem in feudo; quia in definitione † quarto loco habetur, vſumfructum transferri in accipientẽ, qui propriè in rebus alienis conſtabat. §.*1. de vſufr*. Scio ſanè vaſſallum ab vſufructuario vulgari diſtare, partim quia deterioris cõditionis eſt, cum ſeruire obſtringatur domino, & ſex præſtare quæ ſunt in-

ſerta

ferta in *cap.1.de form. fidelit.* non vsufructuarius, qui omnia impunè emolumenta fundi percipit, *l 7. ff. de vsufr.* & verus dominus vix custodem adhibet finibus. *l. si ita, §. dominus, de vsu & habit.* partim melioris est cōditionis vassallus vsufructuario: nam ædificium in agro positum heredi suo feudum minimè successuro auferendum relinquit, nisi dominus malit impendia molitionis refundere, *§. penult. hic finitur lex, deinde consuet. reg.* sed fructuarius, vt fusius dicetur, ius nouè extruendi non habet inconsulto domino, nisi malit multari extructionis amissione, *l. sed & si quid, ff. de vsufr.* In alio quoq; potior vassallus est, quod quintò complectimur definitione feudi, dum perpetuò fruiturus est sibi atque hæredibus masculis ac fœminis, si de illis in constitutione conuenerit. *§. si. de success. feud.* sed vsusfructus ille obscurior ad hæredem non penetrat, licèt hæredis in cōcedendo mētio fiat: quia ad vnicum tantum hæredis appellatio porrigitur, ne inutilis sit proprietas, domino semper abscedente vsufructu, *l. antiquitas. C. de vsufr.* periculi non imminet feudi domino, qui lucri ingentis vice ponit seruitium & reuerentiam à vassallo fruente præstandam. non immeritò, cum operæ hominum in fructu sint, *l. fructus, ff. de oper. seruor.* ita vassallus prædio dominus vassalli obsequio fruitur tāto chariore, quantò personæ rebus præponuntur, *l. 2. de statu hom. ff.*

6 † Sed quęso exploremꝰ, an hoc ſit de ſubſtãtia feudi, vt perpetuò vſufructu in vaſſallum migret, cũ non ita pridem omnia feuda ad nutum domini finem caperent, vel morte vaſſalli, quemadmodum iam demõſtraui, §. *& quia, de iis qui feud. dar. poſſ.* Et magis eſt vt hodie perpetuitas fruendi ſit de ſubſtãtia: quia nõ eſt mirum longè poſt aliquẽ contractum introductũ ſuboriri nouã eiuſdẽ ſubſtantiã: ſicut patet in emptione & venditione ſubſtantiã in pretio nummario habente, poſtquam nũmis publicè ſignatus eſt: olim verò ſatis erat pretiũ dari in reb. põderis, numeri aut menſuræ, vt oſtendi in Dialogis & Iuriſconſult. in *l. 1. de contrah. empt.* Imperator in *l. pen. C. de rer. permut. §. 1. de teſtam.* Minus obeſt, quòd feudum à vaſſallo refutari poteſt, quoties voluerit exonerari ſeruitiis domino debitis, *cap. 1. de vaſſal. qui contr. conſtituti. Loth.* quia nihilominus deſtinatione fuit perpetuum, vt ſeruitus oneris ferẽdi, *l. eum debere. de ſeruit. vrb.* tamẽ is qui eam debet, poteſt columnam ſeu parietem ſeruilem pro derelicto habere ac refutare, *l. & ſi forte. §. Labeo, ff. ſi ſeruit. vendicet.* addamus pro tenui auxilio, *l. 1. ff. de iure dot.* nemo enim neſcit ob feloniam offenſo domino, feudum finitum iri, ſed alio voto inſtitutum fuerat, vt ſcilicet inter bonos viros bene ageretur, ſine offenſæ expectatione.

7 † Sanè vnicum feudum Guardiæ & Caſtaldiæ

ſtaldiæ pertinax fuit in priſco more retinendo & annua mutatione, niſi tempus longiùs in concedendo præſtitutum fuiſſet, *cap. 1. de feud. Guard. & Caſtald.* & hoc genus feudi antiquam ſubſtãtiam retinuit, ſicut emptio quædam fit vno nũmo, id eſt, viliſſimo pretio, propter vtilitatem cõtrahentium. Idem in locatione, quæ nõ ſimulatam exigit mercedem in pecunia; *l. ſi vſusfructus. de iure dot. ff. l. ſi quis conduxerit. ff. locat. § donare, qualit. olim feud. alien pot.* adeò ratio clauus eſt in naui ſubſtantiam contractuum vehente. Sũma verò ratio eſt, vt hoc feudum breui intercidat, ne quis cogatur caſtelli ſui aut ducatus fortè cuſtodem aut diſpenſatorem habere, de quo cœperit diffidere: veriſimiliter enim fidelem vaſſallum huius notæ non eiiciet: quæ ratio in aliis feudis ceſſat, in quibus vaſſallus ſeorſim fruitur ſuo territorio aſſignato. Ideò veteres in depoſito in cuſtodiã dato ſummam fidem deſiderauerunt, & ſedulò reddi iuſſerunt domino repoſcenti. *l. 1. ff. depoſit.* adeò vt antè tempus poſſit repeti per dominum, *d. l. 1. §. ſi ſic.* idem dicã in feudo Guardiæ & Caſtaldiæ, vt nimirum tempus non impediat, quò minus dominus citius repetat, ſi velit, niſi annale tantùm, *cap. 1. de pignori dat. feud.* ergo adiectio temporis erit in perniciem accipientis explicanda, non in domini, vt in precario, *l. cùm precario. Digeſt. de precario.* nam & precario

tempus adiectum impunè legimus, *l. in reb.* § *fi. ff. eod.* Verum hoc ſolatii ibidem à lege datur accipienti, quòd poſt tempus etiamnum creditur renouatum precarium tacito conſenſu domini. idem, quæſo, arbitremur in feudo guardiæ: quia ſcripturam feudum non deſiderat. *cap. 1. ſi de inueſtitur. inter dom. & vaſſal. lis oriatur:* igitur poſt annum redintegrabitur in annum proximum taciturnitate domini *l. qui ad certum, ff. locat.* quoniã, vt dixi, fidum caſtaldum dominus ipſe ſibi cuſtodiet, improbum verò expellet à palatio, nec reſtituet ei pretium ſi quod accepit, imputans vaſallo, quia præuidere debuerat naturam feudi expultricem ſingulari ratione. *l. ſi quis domum,* §. *idem quærit, ff. locat.* proprium enim eſt homini prouidẽtiæ munus ratione duce quaſi vaticinio, abſque illa tamen, ne quis miretur, futura quadrupedes pleræque præſentiunt & prædicunt; vt bos lingens vngulas pedum poſteriorum, tempeſtatem indicans, & canis fodiens vtroque pede terram, teſte Arato; cur autem lex præ cæteris clientulis malignantem caſtaldum præſtringat, breui attingitur in *cap. 1. §. fi. de contenti. inter domin. & fidel. de inueſtit.* vbi citatur lex Longobardorum in *tit. de acquiſitione Actorum regis,* in quo Lotharius rex in *l. fin.* Concedimus, inquit, caſtaldis noſtris (aliâs legitur *gaſtaldiis*) curtes noſtras prouidentibus, vt ſi proprio pretio res emerint,

aut

aut quolibet iusto contractu acquisierint, sicut lex illas res nobis concedit, ita nos illis concedimus, si in seruitio nostro fideles inuenti fuerint. erat igitur Castaldus actor seu procurator domesticus principis, *l. fi. ff. de offic. præsid.* annua mercede non minima donatus, aliisq; prouentibus, sine territorio assignato, vnde Guardia à feudo vero secernitur, § *item si, tit. si de inuestitur. feudi controuers. fuerit.* maximè cum ex lege illa Lotharii colligere liceat, Castaldos regis durãte functione nihil agri sibi quærere potuisse, nisi rex expressè aliud indulsisset. Castaldi itaq; nomen accipiebant ab aldis parum ingenuę conditionis, imò semiseruilis, vt de semiliberis colonis ascriptitiis habetur in *l. fin. in quibus causis coloni dominos accus. lib.* 11. *C.* cũ verò Castaldi essent temporarii administratores, ocyssimè lucrum facere studebant, nõ sine ciuium iniuria, sicut in magistratibus eueniebat lege coërcẽte, *l. principalibus, l. seq. ff. de reb. cred.* accedit lex Longobardorum tit. qua lege aldiones vel aldiæ viuere debeant, vbi Carolus Magnus August. *aldiones* vel *aldianæ* ea lege viuant in Italia in seruitute dominorum suorum, qua Fiscalini vel Lidi viuunt in Francia. sed hæc nomina desuetudo obliterauit. atqui seruitus ibidem pro subiectione accipitur, quę non adimit libertatem, sed onerat, vt apud Scæuolam in *l. Caius, §. fi. de alim. legat.* sic dominatur quis

vassallo, & eius exigit seruitiū fidelitate plenum. §. *fi. in quib. caus. feud. amitt* & passim alibi, sic puto quōdam accidisse Tamiacis, *l. 1. de prædiis Tamiac. lib* 11. *C.* nam pene liberi erant, & reditus dominicos colligebant. dispensabant aldorum instar. Suidas vtique Ταμίας, pro quæstore explicat, & quæstorum plerique mox dispensant prouentus & pecunias.

8 † Sexto igitur ob feudū requiritur iurata fidelitas, tactis Euāgeliis, *c. 1. de noua form. fidelit.* nanque sacrę rei tactus multum afficit deierantem, augetq; sanctitatis venerationem; cùm paulò plus deliberet, qui tangit in testimonium eorum quæ promittit. *l. pen. C. si minor se maior. dixer. cap. 1. quid sit inuestit.* nam quamuis scripturæ propter Deum factæ sint, non Deus propter scripturas, vt D. Chrysostomus ait, *can. si aliqua, 22. q. 1.* tamē terror numinis per eas visibiles magis incutitur, *l. 12. C. de iudici.* vnde est illud poëtæ libr. 12.

Tango aras, mediosq; ignes, & numina testor.

Illo autem sacramēto vassallus olim tacitè excipiebat personā regis vel Cæsaris quolibet domino potioris, vt illic Obertus refert, hodiè verò expressè, §. *fi. de prohib. feud. alien. per Federic.* additq; nominatim se paratum custodire domini mentem, membra, honorem, si non tantum ei subsit respectu feudi, sed etiam respectu iurisdictionis, §. *fi.*

qualiter

qualiter iurare debeat vasʃall. vbi verba hæc: *non quod habeat feudum*, expono pro, *non tãtum*, vt §. *furtiua, de vʃucap. l. penult ff. de annuis legat.*

9 † Et hæc vtiq; in hunc modum ſe habuere in iureiurando promiſſorio ratione feudi accepti: at cum lis definiēda veniebat, cæremonia maior adiiciebatur religioni, cùm de tota re terminanda ageretur, non de inchoanda tantummodo: quippe cùm iuraretur 12. ſacramentalibus adhibitis, §. *ſi quis ſe, ſi de inueſtitur. inter domin. & vaſall.* id eſt, viris 12. ſelectis, qui aſſerant arbitrari ſe, eum qui iurat verũ dicere, nec peierare. qui qualesve eligi debeant, ponitur in § *ſacramentũ, de conſuetud. rect. feud.* vnde Rhotarius rex in *leg. Longobard tit. qualiter quiſque ſe defendere debet, lib. 2.* Si qualiſcunque cauſſa inter homines liberos, inquit, euenerit, & ſacramentum dandum fuerit, ſi vſque ad 20. ſolidos fuerit cauſa ipſa aut amplius, ad Euangelia ſancta iuret, cum 12. diis ſuis: id eſt, inquit, ſacramentalibus; ita vt ſex illi nominentur ab illo qui pulſat, & ſeptimus ſit qui pulſatur; & 5. quales voluerint liberos tamen, ſint 12. Ecce quomodo *ſacramentales, dii* vocantur, velut adſtipulatores, more ſacræ Scripturæ, vt Pſalm 81. *Ego dixi; dii eſtis, & filii excelſi omnes:* ne quis inuideat diuinum nomen hominibus, verum Deum religioſè colentibus, Deoq; ſimillimis, ſi boni fuerint.

10 † Sanè feudo ineundo adiectum fidelitatis sacramētum, illi originem nomenq́; dedit: à fide enim deducitur, sicut fides, id est, dictorum conuentorumq́; constantia & veritas, inde appellata est, iuxta Stoïcos, vt Cicero scripsit; quia fiat quod dictum est, *§. fi. per quos fiat inuestitura.* alii à *fœdere feudum* malunt deducere. vt qui nesciunt ab Ennio *fœdera* potius *fidera* appellata fuisse, quod fidei sanciendę caussa in bellis sedandis introducta sint. & *fœcialis sacerdos* à fide & faciendo dici cœpit, vt Varro putat; nec Fenestella tacuit, nisi, inquit in *d. §. fi. Obertus*, ita sit acquisitum feudum, vt sine iuramento fidelitatis habeatur. vnde plerique notāt, simulq́; demirantur, feudum alicubi inueniri sine fidelitate. Sed aliis placuit iuramentum quidem remitti posse, non reipsa fidele obsequium, quos iuuo; quia remissa fidelitas pro sacramento fidelitatis explicari queat, *cap 1. quid praeceder. debeat inuestit.* vnde feudum inuenietur sine fidelitate, hoc est, iurata, sed alioquin præstanda ex natura feudi: vt iurisiurandi gratia facta intelligatur, non verò fidei & seruitii, *l. quæ sub, §. pen. de conditi. institut.* accedit *cap. 1. qualiter domin. proprie. feud. priuet. in fin. & in §. vasalli, de pace Constantiæ,* idem perspicuè innuitur. Vel fortè feudum ex pacto sine iuramento fidelitatis inuenietur, nempè quoddam, non temerè, sicut liquidò apparet in *§. est & alia, quæ fuit prim.*

caus.

cauſ. beneſ. amitt. nam feudum Guardiæ vel Caſtaldię cum non pertineat ad rem militarem, ſed potius œconomicam, facilè carebit ſolenni ſacramento; præſertim cum annale ſit, vt remedium ad manum habeat eiiciendi infidum diſpenſatorem. Succurrit his *cap. 1. de cap. Conrad.* vbi etiam ſine pacto fidelitas remittitur in nõnullis feudis: ergò pacto lõgè facilius remittetur, nec generalis locutio fidelitatis expetitæ tanget feuda omnia, vt *l. 1 §. item emptio. de rerum permut.* vbi contractus nomine ſuo illuſtres conſenſu ſolo obligant, id eſt, præcipui, non commodatũ vel depoſitum, & ſi qui alii re tantum obligant. Aut tertiò dico, ex pacto de non iurãda fidelitate remitti ſacramenti & promiſſionis neceſſitatem, ad hoc nimirum tantũmodò, ne eam renouari neceſſe ſit in perſonam hæredis dominici, vti aliâs iure communi vaſſallus tenetur. equidem ſi ſit miles intra annum & menſem, *cap. 1. quo tempor. miles inueſtit. pet.* ſed tamen ex natiua poteſtate feudi & ex vi nominis, tenebitur erga dominum mitis eſſe, nec eum laceſſere, alioquin ex felonia priuabitur. & erit huiuſmodi feudum propriè, quamuis minus iuris ac ſeruitii habeat quam reliqua, *cap. 1. in fin. de feud non habent propr. feudi natur.* hoc elegãtiſſimè Obertus ad veritatis amuſſim perpenſus ſcribit, me detegẽte, in *cap. vnic. qualit. domin. propriet feud. priuet.* vbi etiã in feu-

do à quo abest sacramẽtum, potest recipro-ce vassalli & domini quoq; felonia inueniri.
11 † Itaque doctores comminiscuntur feudum quoddã *liberum* seu *Francum*, nisi Frãcum vocent, quasi minus obnoxium. vt vim priuatam dicimus eam, quæ inermis fuit, respectu armatæ magis publicæ, *l. 1. de public. iudic.* nam si do castrum in feudum, pacto ne quid fidelitatis obsequiive præstetur, feudum est pictum, non reuera: sicut cum vendo domum sine pretio pecuniæ, *l insulam, ff. de præscrip. verb.* vel potius instar imaginariæ venditionis pretio abscedente. *l. imaginaria, ff. de regul. iur.* quia læsa est substantia siue essentia contractus; quo fit vt contractus ipse in alium degeneret, & sic feudum transibit in donationem: nam & *beneficium* vocatur, & tunc prorsus erit liberalitas, *l vbi ita, de donatio. caus. mort. ff.* natura verò feudi lædi posset pacto, *l. Lucius. 1. ff. de pos. l. 1. §. si conueniat, ff. eod.* puta. si pepigero ne vassallus intra annum & diem à morte mea petat renouationem feudi ab hærede meo, aduersus *c. 1. de capitul. Conrad.* vel ne moriens sine hærede masculo hæredi suo relinquat ius, ædificium in feudo factum repetẽdi, aduersus *cap.* 1. § *pen. hîc finitur lex, deinde consuet.* quocirca valet pactum, vti feudum alienetur, *d. cap. 1. de feud. non haben propri. natur.* idem de pacto, vt filiæ succedant. § *si quid sit inuestit.* nisi pactum esset legis commissoriæ
super

super re pignori obligata, vt iam tractaui §. *fin. de capitan. qui cur. vend.* & rationem adduxi improbatæ pactionis.

† Quinetiam conueniri potest, vt certa tantùm seruitia vassallus præbeat. *d. §. fin. de capita. qui cur. vendid.* & hoc feudum vocant *non rectum*, eò quòd perfectum, dicatur rectum illæsæ naturæ, *§. si verò vassallus. quid sit inuestitur. & rubr. de consuetud. recti feud.* nec quicquam notius est, quàm pacta quæ substantiæ partem adimunt ex contractu, & ad minuendam obligationem spectant, prodesse, licèt ex interuallo accedant cõtractui, vt si pars pretii detrahatur à venditione, in quo versatur ei⁹ substãtia, *l. pacta, ff. de cõtrah. empt.* Quod si pacta adiiciant obligationi, ibidem Papiniano placet non proficere ad actionem, nisi in continenti interponantur priusquam contractus pro impleto habeatur; cum promptiores simus ad liberandum quàm ad obligandum, maximè circa feuda, *§. ad hec, tit. hic finitur lex: deind. consuet.* 12

† Sed nec putem valere pactum incontinenti obligationem extenuans, si inuitaret ad delinquendum: vt si conuenerit ne ob feloniam feudum reuocetur. *l. si vnus, §. illud. ff. de pact.* sicut enim dolus preteritus remitti pacto potest, ita imposterũ nõ decet accẽdi. *§. pacta. ead. l.* felonia autem dolum omninò continet aut facinus dolo atrocius. *§. item qui, quæ sunt prim. caus. benef. amitt.* vbi tamen 13

ex textu collegit interpres, propter solá negligentiam priuari vassallum feudo, si fortè certiorem, cùm posset, dominum non fecerit initę aduersus ipsum conspirationis mortiferæ, vt declinet periculum; quia talis negligentia in re ardua non caret fraude & ferè assensione. vbi enim grauius periculũ impendet, ibi vigilandum est cautius & diligẽtius, *l.1.§.sed & si quis, de Carbon.edict.ff* vt cú per desidiam filius non redimit patrem ab hostibus captum, *§ si vnum. in Auth. vt cum de appel. cogn. collat.8.* quia desidiæ comes est impietas, & gradatim ad dolũ res peruenit. *l.magna, de verbor. signific.*

14 † Quid si stipulatus sit vasallus ne vnquá expellatur, vel incontinenti à contractu feudi pactus sit cum domino? puté nihilo magis impunitatem assequi euidentis felonię; sed tantum vt mitius cum eo agendum sit, si fortè dubitetur à bono iudice an proteruitas expulsione digna sit, *d.§.ad hoc. hic finitur lex: deinde consuet. l.quæro, §.inter ff locat.*

15 † Hactenus vidimus de pactis substantiá vel naturam feudi minuentibus, vt rectum inde esse desinat. Quòd si adiiciam aliquid, quod vulgò dicunt *per accidens*, &, vt Iurisconsultus ait, *præter vel extra naturam contractus* incontinenti. *l. iurisgen. §.vt puta, ff. de pact.* (non enim ex interuallo prodessent pacta ad actionem) an idcirco feudum rectú esse desinet? quod magis est, vt si pensio adiecta

iecta sit à vassallo, vltra obsequium præstanda. *cap. 1. de controuers. inter episcop.* quippe cũ liberationi plus faueat ius quam obligationi, vt vidimus paulò antè. Vnde si rectũ desinit esse feudũ diminutis ex pacto seruitiis, quantò magis exaggeratis, si fortè conuenerit, vt vasallus festis diebus cum vxore in Ecclesiam vadat. §. *fin. quid sit inuestit.* vbi omni facultate domino adépta probationis, vassallus potest se sacraméto defendere. vbi ablatiuus absolutus conditionem facit, *l. a testatore, ff. de condi. & demonstr.* hoc est, si dominus probare nequeat: ei enim incumbit probatio, qui aliquid allegat vltra naturam consuetudinemq́ue feudi, vt mox subiungit Obertus, speciem addens in filiarum successione. Similis phrasis est in *l. tutor. ff. de iure-iur.* nec dubium est dominum vix audiri, si pactionem turpẽ adiecerit, & vassallo probrosam: vt si nudum eum vel nudam eius vxorem cœnare secũ iuberet, sicut, teste Lãpridio, coëgit equites Rom. Heliogabalus Aug. sanè pactum duriusculum reciperetur: quia propter illud feudi fundamenta iacta sint, modo mores publici non offendantur. *l. si venditor, §. fin. ff. de seru. export. d. l. iurigẽtium, §. prætor ait, de pact.* præsumitur namq; dominum sine illo pacto non contracturũ, *l. si. C. de pact. inter empt.* ita delitiis eius lex indulgebit & affectioni; *l. libertus qui, de bonis libe.* maximè cùm feudorum reditus non in-

pensionibus, sed in obsequiis lucri expertibus versetur.

16 † Quæstionis est obiter, an vltra seruitia domino liceat pacisci, vt prouẽtus aliqui siue pẽsio annua sibi à vassallo prętetur. Scimus quidẽ in hoc multatos fuisse vassallos, cum dominus in regem bella mouẽtem nõ pergẽtes, vt 12. denarios pẽderent in modios singulos, in Theutonica, tertiã partẽ annalis fructus, *c.1.§ similiter, de c 1. Conrad.* Facta, inquit autor, solũmodo cõputatione eius anni, quo hostem faciunt. vbi non dubito iam vt antea, quin *hostem facere*, sit exercitũ facere vel augere, metaphrasi quasi vtitur Annonius lib. 4. de Historia Francorum. Strenuus vir Carolus, inquit, hostem mouit Frãcorum in loco, vbi fluuius Lippia decurrit: & apertius cap. 57. quod illico sequitur, ait,

17 strepitu hostium & turbarum Carolum Auenionem oppidum inuasisse. In Alemannia autem vassallus domini belligerantis comes esse respuens, atque vbiq; locorum, fructuum prestat dimidium ex sanctione Federici. *§. firmiter. de prohib. feud. alien. per Feder.* verum hoc genus multæ propter culpam ignaui vassalli irrogabatur, non ex aliqua cõuentione, eò quòd hostenditias non suppeditauerint, id est, auxilium dominis militiã petentibus pro Rom. rege prestari à vassallis solitum vt illic Obertus enarrauit. & Federicus testatur posse vassallum eundo in bellum

lum vel alium idoneũ militem vice sua mittẽdo effugere eiusmodi præstationem: multumq; interest an pendantur fructus domino, an verò alii rei præstandæ subrogentur, *l. pretu. C. de resc. vend.* Plane pensionis pro feudo quotannis soluẽdæ mentio est in *cap. 1, de controuers. inter episcop. & vassall.* Cæterùm ibi vassallo ipsi soluebatur, non è diuerso, sicut diximus de feudo cameræ & caneuæ, *cap. 1. de notis feudor.* Nec tacet Suidas, dum explicat quid sit νέμειν, inquilinos olim elegisse ciuem aliquem, more cogente, patronum, eiq; soluisse vectigal, quod inde diceretur μετοίκιον. nec soldata in solidorũ numeratione posita primùm, deinde in annonæ etiam, feudum putatur, *§ si quis dicatur dux. March.* at retinet primæui ritus nomẽ, vt ibidem Marchio à *mari*, & sponsalia à *stipulatione, l. 2. de sponsalib. ff.* quæ tamen vsitari desiit. atque vt soldatæ, sic æris nomen retinemus, licèt pro aureis nummis: quia primò ex ære signati ferũtur, *l. etiam, de verbor. signif.* Hinc dicta pecunia, à *pecudum nota*, autore Plinio. Cœperant autem vassalli rursus feudum alienantes ficta locatione vilissimá paucorum denariorum quantitatem exigere. cui fraudi obuiam itũ est, *§. donare qualit. olim feud. alien.* In literis inuenio, inquit Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 7. quod cum multi occasione Saturnii festi per auaritiam à cliẽtibus ambitiosè munera exige-

rent, idque onus tenuiores grauaret, Publicius Trib. plebis tulit, vt nō nisi cerei ditiorib. missitarētur. alio loco ego ostendi, *assem minimū* & *mel oblatum* patrono à cliente calend. Ianuariis, accedentib. dactylis palmarū inauratis, quod libr. 1 Fastorum Ouidius explicat, & Martialis lib. 8. attigit de phiala loquens aurea quidem, sed gracili & vili, ad Paulum:

Hoc linitur sputo Iani cariota Calendis,
Quam fert cum paruo sordidus asse cliens.

Nam vnius assis pensio mercedem non sapit. *l. si quis condux. ff. locat.* Dulcia tantum & honesta cliens tradit officiosè domino, *cap. 1. de forma fidelit.* hinc in Leuitico primitias mellis exigit Deus, & Persarum reguli aurū Christo obtulerunt, atque vt regum præcipuo regi † præstitere homagium, id est, seruitium vassalli perfectissimi, & iuramētum fidelitatis absolutæ. atqui in *lib. 4 consuetudinum Tolosæ, tit. de feudis*, probatur in §. 10. vsurpatum iam olim, vt vassallus domino summulam pēdat anniuersariam, quam *obliam* vocant; fortè ideò, quod non mercedis instar habeat, sed pharmaci contra obliuionem; vt sit memor cliens se potiori subditū: sed non ideo feudo priuandum, quod diu oblias non soluerit, vt ibi dicitur. Homagiū autem verbum est in Gallia frequentissimū, in sensu fidelitatis dominis à vasallis præstādæ, fortè à verbo ὀμόω, id est, *iuro*, quia iura-

17

tur

tur fidelitas, & ad eam iurãdã cogitur vassallus, aut arcetur à feudo. *§. est & alia. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt.* par est enim Græcorũ verborum Gallis vulgo vsurpatorum, vt Cęsar scripsit libr. 6. de bello Gallico, quædam fragmenta adhuc superesse: quorum pleraque nos falsò barbaris asscribimus, vt pedagiũ. *§. fin quis dicatur dux, March.* pro vectigali receptum, ἀπὸ τῶν παίδων, id est, à pueris, seu seruis à mãgonibus mercimonii frequentis loco transuectis. *l. fi. §. quoties, de publican.* maximè in Gallia ante Francum Pharamonem regem seruitutis hominum hostem acerrimum. planè quin verbum ἄγω, id quod *duco* Græcis significet, dubitari desiit æquè ac Latinis. *Pedagii* verò nomine vsum Senecam inuenio, & ad seruos duci solitos relatum, *libr. 1. De tranquillitate vitæ, cap. 1.* Pręstringit, inquit, animum apparatus alicuius pedagii, diligẽtius quam iam intra lares vestita & auro culta mancipia, & agmen seruorum nitentium. certè in *d. §. fi.* ius pedagii percipiendi insigne feudale Obertus tradidit, vt hodie quoque vsurpatur, nec vulgari nobilitati cõgruit. atqui homagii voce vsus est Lucius III. pontifex Rom. Federici Augusti æqualis & amicus, in *cap fi. de regul. iur.* vbi pro spiritalibus vetat præstari homagiũ ob labem simoniæ. *cap. ex diligenti. de simon.* *Seruitium* sæpè Obertus vocat, non id referens vtique ad dominium, sed ad honestas

operas, vt *l. cum hæres*, § *Stichus. 1. de statulib. ff.* quo verbo nihil magis vsurpatum Gallis, qui peius angue meram seruitutem oderũt.
18 † Vinculum hoc inter dominum & vassallum efficit, vt arbitrer neutrum ab altero creditore conueniri posse insolidum: paterno enim fraternoq; iure sanctius vinciũtur, § *si. hic finit lex: deinde consu.* deducetur itaq; ne egeant; § *sed & si quis. de actionibus*: exemplo etiam coniugum quorum alterum inopia premi, alteri dedecus inurit, vt eleganter dicitur *capit. 1. de notis feud.* nec paciscí diuersum licebit propter reuerentiam, quam debet domino vassallus. § *pe. de milite vassall. qui cõtum.* vt vxor viro, *l. alia*, § *si ff. solut matr.* sed non deducet dominus æs alienum instar donatoris iure singulari freti, ne propter liberalitatem suam egeat, *l. exhæred.* § *si cum l. seq. ff. de re indic.* Cęterùm vassallo non propriè donauit dominus, quin obsequia plena periculi bellici ab eo vicissim expectaret: nec curæ est illi an dominus incidat in periuriũ, fortè dum non satisfacit creditoribus, § *fin. de alien. paterni feud.* quoniam domini vassallus est, non pædagogus.

CAP. III.

Feuda præcipua qualia sint, vt ligium, Ducatus, Marchionatus, Comitatus: *quid* allodiũ, *&* feudum antiquum, *& ab emphyteusi differentiæ.*

NOTA-

NOTABILIA.

1 *Feudum ligium unde dictum fuerit primò in Gallia.*

2 *Non soli imperatori conuenire feudum ligium, cùm non sit solus mundi dominus.*

3 *Siciliæ regnum an Romani pontificis ligium fuerit.*

4 *E regalibus ligiisq; feudis Ducatus est præcipuus; & Ducis nomen regi Imperatoriq; conuenire, &c.*

5 *Duces regionum, Marchiones, Comites olim temporales.*

6 *Marchio unde dictus; cuius potestatis fuerit, & Limenarchæ.*

7 *Comites limitibus regnorum, mox iudiciis præfecti; & Barones qua iurisdictione polleant.*

8 *Allodium à feudo discrepare, eiusq; appellatio.*

9 *Quomodo à ligio differat. ascriptitii coloni in Gallia fuêre. quid* casa mansum*ve significet.*

10 *Antiquum feudum, item nouũ, & vtriusque probatio.*

11 *Feudum repentè antiquum fieri consensu domini.*

12 *Feudum aduocatiæ* beneficium *verius dici: & unde ius* Albergæ *Gallicum manauerit.*

13 *Emphyteusis origo, & cum feudo discrimen, ob pensionem potissimum.*

14 *In Emphyteusi non magis, quam in feudo inchoando scriptura requiritur.*

FEuda quædam recẽsere decreuimus post definitionem, pauca quidẽ, sed illustria: nam feudorum plebem aliis relinquimus, qui numero delectantur, nos pondere.

1 † Primum occurrit *ligium* è Gallia oriundum, & in Lombardiam cum victore Carolo Magno, vt sæpè diximus, translatum: dicitur enim *ligium* à *lilio* insigni Francorum, cùm vassallus supremum habet dominum nullius superioris maiestati subditũ, vt Regem vel Imperatorem. & eo verbo vsus est Clemens V. Pont. Rom. *cap. 2. §. rursus, de re iudic. in Clementinis cõstitutionibus*, quas edidit in consilio Viennensi in Gallia, vbi natus erat genere Vasconum pernobili. & eam tãti fecit, vt primus ab vrbe Roma curiam suã traduci fecerit, euocatis Cardinalibus anno Christi M. C C C V. vbi mansit Auenione, quoad sub Gregorio XI. ęquè Gallo Lemouico remigraret post annum septuagesimũ. non mirũ, si Clemens Gallus ligii patria voce vsus fuerit, lilii floris memor proceritate vt cãdor & supra omnes excellẽtis, qui quoniam vulgò *liz* appellatur, *liziorum vassallorum* nomen in Italia quondam reliquit saltem in Lombardia. hinc Nicetas Græcus & serius scriptor Imperii Oriẽtis libr. 7. de Imperatore Manuele loquens: Nulla, inquit, fuit gẽs in Italia, in qua fidum sibi hominem

non

non haberet, vt resciret coniurationes maximè Federici Barbarossæ Augusti Germanici, feudorũ eximii cultoris, quo cum graui dissidio laborabat. Subdit Nicetas, missum Anconam à Manuele legatũ, vt quosdam in sui amicitiam alliceret eorum, quos *Lizios* dicũt, οὓς λιζίυς φασὶν, nempè vassallos, fœderatosq; Federici, Mediolanensibus infestissimi. accedit, quod sæpè in annalibus Gallicis *dominus ligius* legitur pro supremo, vt apud Gillium veterem scriptorem in epistola Philippi Vallesii VI. regis ad Edouardum III. Anglum, qui liligero domino fecerat homagium aliquando & mox incõstanter sibi fieri petebat; velut Franciæ regi ex filia Philippi Pulcri edito, vnde se regem fore per somnium præsenserat.

† Proinde ligii hominis ac feudi nuncupatio satis ostendit id quod alibi Põtifex ait, regem Gallorum non agnoscere dominum superiorẽ, *cap.13. qui filii sint legit.* vbi interpres obstrepit nescio quid de facto, non de iure, cum apibus suus sit rex & gruibus quoque, *can. in apibus.* 7.*q.1.* qui Hieronymi locus, si propius aspiciatur, valdè oppugnat Imperatorem sibi mundi imperium vendicantem, in *l. deprecatio. ff. ad leg. Rhod. & cap. 1. quomod. in læsa maiest. crim. proced. in feud.* nã subdit prudens Hieronymus illic, in qualibet ecclesia præesse oportere episcopum vnũ. atqui innumeri sunt episcopi, sicut & 2

apum atque gruum greges atque duces. nō enim ſequitur toti mundo vnum regem ſufficere, quod cuilibet gēti regnove princeps vn⁹ expediat. vnde in *l. nō dubito.ff.de captiu.* Proculus fatetur Romanorū ſubditos quoſdam fuiſſe clientes ſeu vaſſallos, comiter obſeruātes maieſtatem imperii; alios verò populos liberos prorſus eſſe ſuperioris expertes, & alios fœderatos ſeu ſocios, idque expreſſa cōuentione ac fœdere cum Romanis percuſſo: ergò iure dictante ſeruando, *l.conuentionum,ff. de pact.* nō facto ipſo tātum vel cōtumacia, vt imperii aſſentatores clamitāt: ignari eorum quæ dixit Pompon.in *l.* 5. §.*in pace.ff.de captiu.* & quæ ſtatim dixim⁹ de Imperator. Cōſtantinopolitano aduerſus Germanicum iurgante, poſtquam aquila biceps pingi cœpit in vexillis militarib. propter imperium Orientis ab Occidentali ſeparatum. ergò quod D. Antonin⁹ ait in *d. l.deprecatio,* ſe mundi dominum, non obeſt aliis regibus: quia ſatis eſt eum fuiſſe pro parte dominum. *l.1.§.domini.ff.ad Syllani.* Obiicient *l.1.§.cum autē. de vſucapi.transform. C.* & ſimilia teſtimonia, in quibus in omni orbe terrarū leges Romanæ vigere atque præcipere aſſerūtur, vt rurſus ſub Imp. Antonino, *l.ſi duas.§.1.de excuſ.tut.ff.* namq; id iactatorium loquendi genus imperatorum eò ſpectat, vt alio loco notaui, ne quis principum fuerit, qui Romano latius ſuam ditionē amplificauerit armis

mis & felicitate. nec potest negari quin cotidie dicamus in omnib. aliquid obtinere, pro eo quod est, in pręcipuis, *l. 2. de bonor. poss. ff. §. 1. de donat. & in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur.* omnia animalia soboli student procreãdæ etiam in cælo, nõ tamen apes, nec phœnix ad Solis ortum nidificans volucrib. reliquis excellens. Denique principi Romano mundi imperium sibi asscribenti nõ crederem: nec enim iudicabit cõtra eos qui se pares affirmãt, superiorum nescii, *l. 4. de recept. arbitr.* etiamsi agro ampliore fruatur: autoritas tamen eadem erit, vt dixi de iis qui imperitasse feruntur orbi terrarũ, hoc est, præcipuè præ cæteris regib. vt Assyrii primùm, deinde Medi, amplius Persę victi à Macedonibus. nam vt Claudianus ait;

Subiecit Persen Macedo, cessurus & ipse Romanis. — Sic Deus regna circumagit, à quo omne manat imperiũ, *l. 2. de offic. præfect. præt. Afric.* † Sicilia cuius regem Clemens Pontifex dixit esse Ligium hominem sedis Rom. hoc testatur toties mutatis regibus antiquis vsq; ad Hieronem: mox à Rom. capta C. Marcelli auspiciis, quoad Augusto Constantinopolitano caperetur: post à Tancredo Normano Gallo & posteris, donec Innocẽtius II. & deinceps põtifices Rõ. ad solicitudinem suam reges Siculos reuocarunt vsque ad Vrbanum IV. qui pertæsus 3

Manfredum Federici II. Augusti filium nothum, parricidio &aliis sceleribus insignem expulit, accito Carolo Franco D. Ludouici fratre Andegauorum Duce, dum Siculis ad defectionem solicitatis, desciscceret. maximè Nicolai III. Pontificis instigatione, qui aduersus Gallos Petro Aragonio Manfredi genero; studebat funebri exitu. nã sicuti Gallos omnes dato vespertini sacri signo sine delectu, ita sine ratione trucidarunt: attamẽ vt patet in *d. §. rursus*, Pontifices adhuc existimarunt, regnum Siciliæ feudi iure à se teneri, cũ Robertus rex, de quo ibi disseritur, Federici filius, Clementi V. suam coronam spontè accepto tulerit, vt se tueretur contra Henricum VII. Cæsarem, à quo imminutæ maiestatis reus accersebatur. ex quo edita est illa sanctio in feud. quomodo in lęsæ maiest. vt Robertus perduellis iudicaretur lata sententia capitali, quæ in *d. Clem. 2.* fusius recitatur, atq; Pontificio iudicio irrita censetur. vt expressius in *cap. 2. de re iudic. lib. 6.* adeo non licet Imperatori quosque homines vassallos suos dicere, nec in causa propria controuersa statuere, nisi aduersus notoriè subditos, *l. proximè. ff. de iis quæ in testam. delent.* præsertim in feudo ligio, quod *regale* vocatur, *cap. 1. de lege Conrad.* vbi de feudo regali est locus plane regius, vt in *cap. 1. de feud. Marchi.* vbi Marchionis & Comitis feuda regalibus annumerantur, sed potissimum

cap.

capite primo, quis dicatur dux, Marchio.

† Dux enim ab optima nota eligebatur 4
propter nomẽ clarum nec rege indignum, cuius maxima laus est prudenter ductare exercitum. hinc Ouidius libr. 6. Fastorum de Tullo rege 6. Rom. per generum Tarquinum necato loquens;

An magis est verum post Tulli funera plebem
Confusam placidi morte fuisse ducis?

Augusti.n. & reges duces iis oris nationibusq; præficiebãt, quæ summæ administrationis & arduæ viderentur, & armata custodia egentes, vt liquet ex *l.2.§ 1.C.de offic.præfect.prat. Afric.* vbi milites assignantur nunciaturi duci præposito quid impenderet periculi circa partes Galliæ seu Francorum, inquit, in quorum finibus Iustinianus August. nonnullis oppidis potiebatur, nondũ Francis Galliam tutò tenentibus, Childeberto Lutetiæ imperitante, trium fratrum cõsortio. ex quo fœdus iniuere cũ Iustiniano Aug. sicut Procopius ꝓdidit *libr.3.de bello Gothor.*

† Iam verò admonui duces arbitrio regũ 5
à functione amoueri solitos, ne dulcedine imperandi arriperent sibi dominatum, vt de dictatore semestri legimus, in *l.2.§.populo.ff. de orig.iur.* & sero ducatus in feudum perpetuum transiuit cum Marchionatu & Comitatu, *§.fin.de alienati.feud.* sic scripsit Annonius lib.5. historiæ Francorum, Chorsonem à ducatu Tolosano remotũ suffecto Wili-

elmo à Ludouico Caroli Magni filio rege designato: quia incautè se ab hoste intercipi siuisset. quin etiam postquam feuda perennia esse cœperũt, in ducatu & aliis regalibus illud obtinuit, vt in dubio à rege vel Imperatore concessa beneficii tẽporarii iure tantum censerẽtur, nisi inuestitura sequeretur, *cap. 1. de feud. march.* ita iure personali concessum ad hæredes non pertinebat. *l. 3. in fi. ff. de censib.* In summam, ducis nomen generale restringitur ad hanc dignitatem regali feudo præditam. non mirũ, cùm idem acciderit in nomine Imperatoris, id est, exercitus summi ducis. *l. libertas 1. ff. de stat. homi.* & in nomine hęredis dominũ quemlibet olim significantis. § *fi. de hæred. qualit.* & deniq; in aliis innumerabilib. vt puto, in Marchione post ducem in feudis laudatissimo, qui, sicut Comes, regni seu regis capitaneus nominatur, *cap. 1. de iis qui feud. dar. poss.*

6 † Dictus Marchio, vt notat Vadianus Põp. Melę interpres oculatus testis, à marck id est, Germanicè, à limite, cui quoq; sed amplioris ditionis dux præerat. *l. petitionem. C. de aduocat. diuersor. iudicior.* Vnde etiã Marcomannos ille populos deducit. nam limitibus & territoriis ducatu angustioribus præficiebatur stipat⁹ militibus, qui *limitanei* inde vocabantur, agro castellisq; obseruandis incumbentes, ne quid detrimenti regno accideret hostium confinium insidiis. quare

immu-

immunitate fruebant, *l. fi. de fund. limitroph. l. b. 11. C.* Castellani quoq;, vt hodie, appellabātur, *l. pe. eod.* marchioni præterea limenarchæ subiiciebātur, id est, portuum custodes in regni limite speculātes, ne quis regno fugeret, vel ingressu fraudem necteret. *l. pe. ff. de seruis fugit.* vt nō immeritò Obertus Marchionē à marcha iuxta mare posita traxerit, *cap. 1. quis dicat. dux, march.* nam mare & flumina limitem regnis plurimum tribuūt. nemo hoc apertius docet, quā Annonius eius tēporis autor, quo eiusmodi vocabula vsurpabātur, vt *lib. 4. ca. 116.* de Carolo Imp. scribens: Vbi Aquisgranum conuenisse ait, totius pene Saxoniæ Comites cum Marchionib. & postea Herioldum per obsides firmatam incursione rupisse, quoad Godefridi filii contractis copiis Francos adorti ad marcham & ripam Egidorę fluminis traiecto eò castris exuunt. & *cap. 110.* Comites Marchæ Hispanicè trans Sicorim fluuium in Hispaniam profecti, vastatis agris cum non modica præda regressi sint. Scio alios à *marca*, i. ab equo, marchionē dici malle: adeo placet nouitas. & forte nō deerit, qui à *marcha* seu talento argēti, *cap. nos Roman. de pace Constāt. in feud.* inueniendi studio extrahat, ob pretium tāti honoris, quantū Marchio sustinet.

† Comites. n. pinde ac marchiones seruādis limitib. pponebāt, sed minoris momēti. generalis. v. māsit Comitum appellatio, nisi 7

ex adiectione explicaretur, vt patet in Comitibus palatii, stabuli, scholarum, *l.1.de Comitib. tribun.lib.12.C.* vbi à Comitibus diœcesum, & à ducibus differunt, æquè tamen ad tempus antiquitus præstituti; ducta voce à Comitibus aulicis regis, qui eum quocunque sequebantur, & in comitatu eius erant non deliciarum, sed militiæ gratia, si fortè procinctus moueretur. *l. milites. §. missionũ. ff. de re mili. l. pen. de milit. testam.* Sanè comites iudiciis præfectos nõ ignoro, & delictorum castigationi, nedum rei militari. *§. si clericus. de pace tenend. & eius viol. & §. penult.* sic accidit præfecto prætorio Cæsarum seculis. *l. 1. ff. de offic. præfect. prat.* eorum enim armis accessit iurisdictio paulatim. Barones comitibus hodie proximi sunt, sed longo interuallo proximi à Cicerone non vno loco vsitato vocabulo, cuius magna mẽtio est apud *Alciatum lib. 5. παρέργ. cap. 16.* certè Euripides in Hippolyto coronato dixit χρυσοῦ βάρος, id est, *auri pondus*: significat etiam τὸ βάρος, grauitatem: at Barones magno præditi sunt imperio, addicente illis consuetudine merum imperium ad animaduertendum in impios capitali sententia. nec dubium est, quin consuetudo iurisdictionem omnimodam concedat, exemplo legis *l. fi. C. de emãcipat. l. 1. ff. de offic. eius cui mãd. est iurisdi.* Certè Bonifacius Pontifex in *cap. 2. de supplend. negligen.* in inscriptione, Baronibus & Comitibus Portugaliæ

tugaliæ præpostere videtur fecisse, Barones præponens Comitibus; sed licuit ei augẽdo digniores postponere, sicuti in acie triarii milites viribus exploratis vltimi erãt, vt crebro institutio in testamento. §.*ante. de legat.* & ducatus post marchiam, *ca.1.de feud marchi.* vbi quoque Comes promiscuè Ducem subsequitur vario ordine. Non taceo Comitem pro procuratore accipi, vt in *tit.& l.1.de quæstorib. libr.12.* vbi agitur de comite sacrarum largitionum principis, vel rei priuatæ, id est, patrimonii vel regii, fisci procuratore. *l.1.ff.de offic. prætor. Cæsar.* idq; Theodoritus *libr.3.histor. ecclesiastica cap.12.* indicat: Cum Iuliano, inquit, prætore Orientis ingressus fuit Felix quæstor thesauri imperialis, & Elpidius procurator pecuniæ rerumq; priuatarum imperatoris. hunc vocare solent, inquit, Romani *comitem priuatorum*, & Theosius Augustus in *l.fi. vt dignit.ord. seruet.libr. 12.C.* comitem thesaurorum vel rei priuatæ, à questorio visus est modicè secernere, & nihilominus eosdem persimiles fateri: fortè quod diuersæ pecuniæ seruandæ præficerẽtur & dispensandæ, an tam vario regiæ fortunæ prouentu.

† Alaudium quod & *allodium* dicimus, à feudo ligio & à quolibet alio differẽs, videtur nonnullis oriri à verbo *laudo*, id est, nomino, & in assertionem inuoco. vt emptor pulsatus iudicio ab alio laudat auctorẽ suũ, 8

népe venditoré, à quo ius habet, & cui noua tertii contentio denunciari debet. *l. auctore. C de euict. l. Herennius. ff. eod.* vbi Budęus eruditus, & meliore coniectura dignus vir, sic ait de alaudio; Quod, inquit, quicũq; habet prædium, eo iure laudare autoré suum nemini tenetur, vt qui nullum soli dominum agnoscat nec patronũ. an verò laudare, feudorũ autores pro nominare, eo modo acceperint, & alaudium, pro eo quod est sine autore nominãdo, vix scio, tametsi passim laudum seu laudamẽtum pro arbitrorum iudicumve sententia dicant, *c. 1 constitution. feud. Lothar. & c. 1. de feud. sine culp. non amitt.* præterea allodio Accurs. euictionem non subtrahit in *cap. 1. de allodiis.* vbi allodium primò concessum fuit Ecclesiæ ab vno autore, mox ab alio in feudum aliorsum traductum; vnde victrice Ecclesia posterior qui feudi titulo accepit, de euictione aget contra concedentem, *cap. 1. de inuestitur. de re alien fact.* certè multo magis ecclesia ageret pro allodio, cõcesso sibi, si antea feudi iure nexũ fuisset cõtra autorem suum. si enim auctor interpellatur iustissimè pro feudi inuestitura, cum alienum detegatur, vt expresse habetur in *c. 1. & §. respondi. si vassall. de feud. ab aliq. interpell.* cur non eadem fides præstari debebit in allodio, quod liberum & ab omni seruitio immune promittitur, & sine vllo domino penitus? ita vt nec censibus publicis obstringatur.

gatur, contra naturam vulgaris patrimonii, cuius functiones nec is quidem honestè recusat cui princeps immunitatem à muneribus publicis dedit, *l.3. de munerib. patrim. lib. 10. C.* dicitur itaq; *allodium* sine *laudio*, vt Budæus incœperat diuinare; sed laudium gen⁹ est seruitii subiectioné ac parendi necessitatem includens in homine; quem si seruum nõ dicas, liberum tamen nequeas affirmare, vt de colonis censitis fundo colendo asscriptis habetur in *l. fi. in quib. caus. colon. cẽsit. domi. accus. lib. 11. C.* nec enim à terra, cui semel addicti fuerant, separari poterant inuito domino seu patrono, nec sine illa vẽdi, aut peculii administrationem liberam assequi; sed in fundo residebãt cum familiola iugiter. vt vitaretur dura sanguinis separatio, *l. penul. C. cõmun. vtriusq; iud. c.* tales erãt *penestæ* Thessalis è Bœotia vltrò in seruituté dati, & agriculturę dedicati pacto adiecto, ne venire vltra regioné possent, teste Athenæo, & *Ilotes* Lacedæmoniis. vtriq; tamé in dominos sæpè coniurarunt, vt refert Aristot. in *Politicis lib. 2. c. 7.* πένεσθαι, inquit, Suid. dicti à *manendo*, quasi μένεσθαι: quod se dedidissent ea lege. vt facientes opus non malè tractarentur, neve de regione Thessala excederent. Serpsisse tamen fatetur id nomé paulatim in omnes, qui victi bello seruirent, vt & seruorum bello captorum in alios, §. 1. *de iure person.* Propius accedit lex Longobard. Lotharii regis

tit. de eo qui alii in viam ante stetit. Si quis seruo, inquit, alieno aut ancillę, seu aldio vel aldiæ, aut liberto vel libertæ, viam antè steterit, domino eius cõponat solid. 20. Pluscula supra attuli aldium attingentia, cum de Castaldo disceptarem, proinde semiliberi homines, aldiiq;, ab allodio valde discrepabãt, in quo possessor terra fruitur libera, soli Deo accepta, non vlli mortalium: cum feudum ligium saltem principi supremo agnoscatur. vnde fit, vt terra potius præsumatur feudalis quàm allodialis: adeo ab immuni onerũ allodio ius abhorret. §. *inter. si de feud. defunct. content. sit inter domin. & agn.*

9 † Ibidem præterea ostenditur, naturam feudi talem esse, vt communiter fœminam abigat, non autem allodit, si nõ aliter nominatim conuenerit. *cap.* 1. *de feud. fœmin.* illud non piget subdere ex moribus Tolosatum depromptum *lib.* 4. *tit. de homagiis.* §. 7. etiam in Gallia, saltem in tractu Tolosano, ascriptitios homines quõdam extitisse; ibi enim cauetur seruatum in suburbiis & castellis, & locis intra fines ciuitatis clausis, vt si homo ligius contrahat matrimonium cum libera muliere, liberos inde genitos instar tamiacæ sobolis, *l.* 1. *de prædiis tamiac. libr.* 11. *C.* de qua alibi dixi; non continuò sequi conditionem matris, quamuis iure aliter constituatur in ascriptitiis expresse, *l. ne diutius, de agricol.* 11. *C.* sed eius subdi dominio, ad quem pagus, siue (vt

ſiue (vt verbis priſcis diſtorto vultu audiẽdis loquar) *caſalagium* pertinet, à caſa tamen, ſiue tugurio deductũ eſt ruſticitatis indicio. *l.pe.ff.de vſufr.* non pro vrbana domo, & *cap. 1. de fratrib. de nouo benefic. inueſt.* Sed hoc Inſubrum idiomate inuerſum ibi exiſtimo, ſicut ętiã domus pro familia tam vulgò, quàm ſeriò vſurpatur, vnde *Socraticam domum* dixit Horatius libr. 1. Carminum, ode 29. *l. pater. l penul ff. de teſtib.* Vnde præterea colligimus ligii nomẽ non tantum inſpicere principem ſuperiorem, ſed pro quauis feudali ſubiectione vulgo frequentari. ne tãtum legibus dominetur cõſuetudo, ſed etiam verbis licet regiis. *l. Labeo. ff. de ſupell. legat.* nam & *manſum* vulgò hodie nuncupatur à Ruthenis Gallis pagus ex caſis aliquot ſparſim ſine muro coniunctis, ex quo feudum inſtituitur, cuius incrementum ad dominum iure communi ſpectat, ſi in curte aliquid ſibi reſeruauit. §. *ſi quis de manſo. ſi de inueſtitura feud. controuerſ.* in aliis Galliæ regionibus manſum, villa dicitur, vt apud Volcas, & *in cap. 1. de cenſib.*

† Transgrediamur ad aliam diuiſionem feudorum, quorum quoddam *nouum* eſt, quoddam vero *antiquum* ſeu *vetus*, *cap. 1. qui teſtes ſint neceſſarii ad nouam inueſtit.* Nouã, inquit ibi autor, inueſtituram dico, quando feudum primum quæritur, nempe vaſſallo citra ſucceſſionem inueſtito per inueſtitu- 10

ram: vetus autem ſucceſſione acquiritur. Cæterum *antiquum* appellatur, etiamſi paternum ſit, §.*fi.de feud.March* licèt paternū fruſtra videretur ab antiquo ſecerni aliquibus.§.*hoc quoque,de ſucceſſ.feud.cap.1 de vaſſal. decrepit. ætat.*nam antiquum eſt quodcūque præceſſit, *l.1.§.fi.ſi à parent. quis fuer.*Sic Virgilio lib.4.Æneid. Sichæus Didonis maritus,quod Æneam preuenisset *antiquus* vocatur, dum deſcribit *de marmore templum*

Coniugis antiqui,miro quod honore colebat.

Sed *vetus* ſæpius feudum dicitur, §. *1. per quos fiat inueſti.*Vltra hoc quod vetus ſucceſſione, nouum inueſtitura acquiritur,in alio diſcrepant: quod in dubio feudū vetus præſumitur,niſi diuerſum à domino probetur. & hoc ideo, vt arbitror, quod domino facile fore lex putauit probare nouitatis originē, exſtante multorum teſtium memoria de paribus curiæ ſelectorū, vel ſcriptura, §.1.*quid ſit inueſtit.* & hoc obtinet, quoties dominus & vaſſallus æquè bona florēt exiſtimatione; alioqui probiori defertur iuſiurandum, §.*fi. de ſucceſſ. fratr. l.fin.ff.de fide inſtr.*vbi dicitur digniori plus fidei adhiberi;ex quo ſequeretur, domino ſemper iurandum, ſi velit,niſi vaſſallus probitate ditior ſit moribus,*l.3.circ. §.pen.de tutorib.ff.* Tertiò vetus beneficium probatur etiā per exteros teſtes excepta fœmina, quæ à feudo probando,vel à teſtamēto arcetur. nouum requirit teſtimoniū parium

rium curiæ, quippe qui inueſtituræ præſto fuerunt, *cap* 1. *qui teſt. ſint neceſſ.* ſi modò dominus tāti ſit, vt pares habeat in aula, §. *quod autē, de conſuet. rect. feud.* Quartò, vt fuſius dicetur alicubi, nouam pandit ſucceſſionis viā ſolis liberis deſcendentibus ab eo, qui inueſtitus eſt; vetus autem ad agnatos quoq; à latere traducitur: vnde frater fratri ſuccedet in hoc, non in ſuperiori, §. *fi. de feud. march.* ex quo non procedit alienatio feudi paterni niſi conſentientibus agnatis. *cap.* 1. *de alienat. paterni feud.* adeo eis effectum eſt.

† Quintò, feudi noui inueſtiturā non faciet minor, qui non poteſt legitimè bona ſua adminiſtrare: quia alienare videtur: nō ſi paternū tribuat, *cap* 1. *per quos fiat inueſtit* nam in hac ſpecie nihil ipſe diſtrahit, ſed veſtigia maiorū ſuorū inſequitur. *l* 2. *C. ſi aduerſ. vendition. pignor.* & quidē neceſſariò. nec. n. abnegare poſſet renouationē inueſtituræ vaſſallo ipſe domini hæres. Quæſtionis eſt, an repètè feudum iure antiqui valeat, ſi dominus feudum inſtituat, quod antiquū vocet. Quod magis eſt, cùm plus poſſit ſubdit⁹ cōſenſus domini, quā lapſus tēporis. *l. nā ſatis.* §. *ſi verò. ff. quēadm. ſeruit. amitt.* non obeſt, *l ſi forte. ff. de caſtrenſ. pecul.* vbi donatum filiofamilias nomine caſtrenſis peculii id quod tali peculio non quadret, & ſine militari notitia ꝓcedēte, nihil immutat, qa veritas ibi mutari nequit, vt patri nihil detrahat, cui acquireret filius id, quod caſtrenſe nō ſapit: planè cū 11

antiquũ feudum appellatur illico, nulli nocetur nisi domino, qui plus poterat facere, si collibuisset, id est, rem donare vel certè feudum constituere sine iuramento fidelitatis exigẽdo, § *fi. per quos fiat inuestit.* & hoc plus proderit cognatis vassalli successoris ꝓpter feudi antiquitatem cõfestim ortam, vt Hesiod⁹ in Theogonia cecinit de Græcis, quas à partu canas fuisse ait, ἐκ γενετῆς πολιάς. nam & pacto hoc fieri posset in concessione noui feudi, vt deficientibus liberis vassalli, agnati, nõ domin⁹ succederet, § *fi. de feud. march.* Cur igitur idem nõ præstabit appellatio antiqui feudi? cum in appellatiuis nominibus error non præsumatur, *l. 4. de legat. 1.* vnde in verbor. signif. tempore laborauerunt Iurisconsulti maximè adiectiuorum, *l. vbi. ff. de verbor. oblig.* & vtique circa vetustatis significatum nisi abusiuè locutum autorem constiterit. *l. non aliter. § fi. de leg* 3. accedit quod è vetere nouum feudum efficitur ex conuentione. §. *fi. an agnat. vel filius defunct.* at magis naturale est, vt è iuuene aliquis senescat protinus; quod quidem homini mærores sępissimè præstant; vt verò repubescit, vix celebris illa venefica Medea præstiterit.

12 † Si de feudo ecclesiastico aliquid dixerimus modò, vel de fœmineo, cogemur mox de instar aliorum molestè repetere idem, cũ ad feudorum institutionem successionemq; venietur: proinde transgredimur ad detri-

menta

menta quędam eorundem residua; quale est *feudum aduocatiæ*, vel potius beneficium adiunctum aduocati officio, quamdiu is pro domino ornatè & solerter patrocinium susceperit, vt probatur in §. *publici: de pace tenend. & eius violat.* quãuis enim feudum sit beneficium, sicut venditio est alienatio generali nomine censenda, attamen Federicus maluit vti generis nomine, vt ostenderet nõ propriè feudum esse aduocatiam inermem instar Castaldiæ, ob mercedem annuã actori Baronis concessæ, *cap. 1. de feud. Guardiæ.* excepto quod Guardiæ beneficium sui natura anno auferri potest: illic verò aduocatia non nisi culpa aliqua inornati & insolertis hominis; cum in aliis feudis scelus requiratur pro felonica, *c. 1. vers. de illa, in quib. caus. feud. amitt.* ideo quod aduocatum decet ornatus eloquii & solertia ingenii, ne conuicietur, ne maledicat, sed laudis iustæ auidus turpe lucrum abhorreat. *l. quisquis. C. de postul.* sanè Lucius III. Pontifex Guardię quodammodo comparare videtur aduocatiam, vt quam prohibet in ecclesiam exerceri, ne aduocati ius aduocationis transferant in aliã personam, neve eius prætextu immoderata reditus exactione premant, nec albergariis, *cap. præterea. de iure patron.* à quo verbo Franci *ius Albergæ* traxerunt in rusticos subditos exigendum, vt illic habetur. Sanè aduocatus mera ratione feudo nonnullo dignus cen-

ſebitur & caſtrēſi ferè peculio æquè ac ſi gladiis & vulnerib. patriam defenderet. *l. fori. l. aduocati. C. de aduocat. diuerſ. iudic.* vet⁹ quoque neceſſitudo patroni & cliētis apud Dionyſ. Halicarnaſſeum lib. 2. habuit, vt cum nefas eſſet alterū ab altero accuſari, vterq; pro altero accuſatoris exteri impetum propulſaret, & hanc particulam retinuit feudum aduocatiæ extra belli aleam, cui oratores vix ſunt idonei artem in lingua ventoſa gerētes, & plerunq; in pedibus, vt Demoſthenes armatur dicendi facultate contra Philippum Macedonem regem. Sed cum apud Cheroneam prelio Athenienſes ſuos inclinatos videret, fuga ſibi conſuluit, probrum eludens notiſſimo verſiculo apud A. Gellium: Ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται; id eſt, *vir fugiens rurſus pugnabit.* Ergo ſane propter fugæ exemplum potiſſimum à graui viro, iugulaſſem eum ſuadente iuriſconſulto in *l. omne, §. qui in acie. ff. de re milit.* omiſſis nugis, nec expectato iudice, *l. fi. C. quand. liceat vnic. ſine iudic.* ſuggerebat vt hoc ſuperiore anno exercerē aduerſus aliquot rabulas ſerēdis intra vrbē diſcordiis, calumniisq; valdè idoneos, ſed cominus conſerendis cum hoſte manibus ineptos, à quorum pedibus nimium velocibus parum abfuit, quin vngues poplitū tenus præciderem; hortatus interim vt feudo mero dignum, *l. 19. §. fi. de captiuis, ff.* Nōnullos ſocordes homines, quos pupugi, cōſultò

sultò taceo, propter Furuiũ, quẽ non indignum emphyteusi iudico, i. melioratione.

† Sicut eam vocauit Iustinian. in *l. fi. C. de iure emphyt.* à verbo ἐμφυτεύω, id est, *insero*: cũ agri steriles primùm incœperint dari gnauis cultoribus, vt fertiles redderentur & implãtarẽtur. quæ ratio ad vrbana prędia mox traducta est. *Authent. si quas. C. de sacrosanct. Ecclesi.* ex quo à principio tenuis pensio solebat imponi prædio emphyteutico, nullo augẽda incremento, *l. fin. C. de alluuionibus.* nec ẽ diuerso minuenda quantacunq; pars prædii decreuerit, *l. 1. C. de iure emphyt.* cũ liceat emphyteutæ pro derelicto fundum habere, *l. is cum. ff. de aqu. plu.* proinde origine emphyteusis à feudo discrepat: cùm in hoc obsequium patrono seu domino præstitum exstiterit à cliente seu vassallo, propter mutuã amicitiam & defensionem, vt affatim antea à nobis traditũ fuit. Emphyteusis ergo vtilitate metitur negotiũ; feudũ nobilitatis particeps officiis & armis, *cap. 1. hic finit. lex. ca. 1. de feud. dato in vicem legis commiss.* nec obest quod nõnunquã p̃stari quotannis eas, quas vocãt *oblias*, superius ostẽdimus, & cereos & nescio quæ friuola ab obliuione deducta; qa obliuisci vassallũ nefas sit, vt miles à mollitie nominat̃, quã nẽpe effugiat, *l. 1. ff. de mil. test.* nã ex eo colligit̃, nõ mercedis loco pẽdi, sed indicio homagii, sicut in ficta vẽditione antiquit⁹ recepta, *§. 1. de test.* & hodiè *l. si vsusfr.* 15

de iure dot.ff. vnde consuetudo Tolosæ *tit. de feudis.* §.12. duos vel pauciores solidos vulgares in annos singulos pro feud. obliis commemorat. at Pontifex pensionem regni Siculi ingentem mille nummûm notat, *cap. 2. de re iudic. lib. 6.* Sed exiguum respectu regni fertilissimi. *l. si vero. §. 1. qui satisd. cog. l. sed et si suscepit. § penult. de iudic.* nam nec modicus honor præstitus ab emphyteuta vltra pensionem domino feudum faceret, *l. 1. §. idem Pomp. ff. depos. l. 1. C. de rerum permut.* vbi initium contractus promiscui inspicitur, non sequela aliorsum spectans; maxime cum liceat quicquam adiicere feudo & aliis cõtractibus vltra eorum naturam pacto ex continenti, *§. fin. quid sit inuestitur. §. adeò. de location.* vbi contractus emphyteuticus perinde valet atque si esset naturalis, licet pactis appositis violetur eius natura, vt sensus eius loci reuera continet, *l. Lucius. 1. ff. deposit.* Secũdò emphyteuta si cessauerit à solutione pensionis triennio, vel biennio in ecclesiam, cadit iure suo, *l. 2. C. de iure emphyt. Authent. qui rem de sacros. eccles.* at vassalius nunquam tenetur seruitiũ offerre domino, nec in armis esse nisi interpelletur, *§. licet. si de feud. defunct. content. sit inter domin. et agnat.* Interpellationis autem vice ponimus scientiam euidentem vassalli in præsenti domini periculo, *§. item qui qua fuit prima caus. benefic.* vt fusius recensebo. Tertiò emphyteuta, mor-

tuo

tuo domino, non tenetur adire ipsius hæredem, nec ei assurgere, imò vassallus, vt renouetur inuestitura, idq; intra annum & diem. *cap.1.eod.* Quarto feudũ alienari nullo modo potest dissentiente domino, *cap.1.de prohib.alien.per Federicũ.* atqui emphyteuta impune alienat, si modo emendi conditionem domino obtulerit, bimestri spatio exspectato, *l.fin. C.de iure emphyt.* præterea feudum adeo personæ potius quam rei munus est, vt imbecillitate corporis mutili aut defecti, vel sexus, amittatur, *cap.1.an mutus vel alias imperfect.feud.retin.* quod de emphyteusi nemo dixerit.

† Addunt alii in feudo non requiri scripturam, si cõtractus aliter viua voce probetur, *cap.1.quid sit inuestit.* sed in emphyteutico contractu requiri, *l.1.C.de iure emphyt.* sed aliter de hoc asserui in *Dialogis*, *cap.19.* cum nec Iustinianus emphyteutici instrumenti mentionem faciens, id iniungat, sed obiter referat, quod fieri consueuit in contractu simillimo emtionis & locationis, quorũ neuter scriptura eget, nisi inter curiosos. *§.1.de obligati.ex consens.§.1.de emption.* Itaque instrumenti ac stipulationis recordatio ad solitum fieri spectat, non ad necessarium, vt in dote, *l.si dotali.ff.solut.matr.* Denique commodius probabitur emphyteusis, in qua cũcta debitor triẽnio priuatur iure suo, quam feudum, in quo nihil offert vassallus impu- 14

nè domino, tametsi diu otiosè steterit, nisi interpelletur, vt dixi: certe inuestituræ scriptura per breue testatum requiritur, quoties pares curiæ non illi faciundæ interfuerunt. §. *fin. qui testes sunt necess. ad nouam inuestituram*.

CAP. IV.

De inuestitura facienda certis modis, & de seruo, de ecclesia, de minoribus ætate, de rusticis.

NOTABILIA.

1 *Sine inuestitura contractum feudi sequente, feudum non consistere.*

2 *Ius personale feudi simile non transit ad hæredes.*

3 *Iure singulari hunc contractum duplex traditio subsequitur: & hasta concessio.*

4 *Hastæ traditio cur illico dominium & possessionem non transferat, vt clauium cessio.*

5 *Item gleba, puluere, pileo, sicut hasta, aliisq. signis inuestire solitos veteres.*

6 *Iure gentium introducta insignia inuestitura, proinde seruis esse communia.*

7 *An seruus sibi domino ve quærat feudum, & an militet?*

8 *Feuda ecclesiastica qualia sint: Quod Papa regna det atq; auferat.*

9 *Idem iurisiurandi gratiam facit vassallis, quod semper in religione versatur.*

10 *An*

10 An Papa dum nouum feudum instituit, liget successorem, & quando alienet res Ecclesiæ.

11 Consuetudo præcipuè docet, quæ persona feudum Ecclesiasticum instituant, vel antiquum in cognatos transferant.

12 Differentiæ inter feudum ecclesiasticum & laicum.

13 Quando viuentis vassalli feudum concedat alteri, & quare.

14 Feuda etiam sacerdotibus ob militiam data.

15 Si clericus ob feloniam feudo priuatur, non nocet successori.

16 An hodie vetitum sit clericis belligerare, & feudis inuestiri: &, an clericus siue miles crucifer partem faciat agnatis.

17 Impubes vel adultus an feudum capiat: quid de eorum tutoribus aut curatoribus.

18 Minor quando excusetur, si tempestiuè non petat inuestituram.

19 Quomodo iuret impubes feudo donatus.

20 Rustici an feudi capaces & armis sint idonei.

POstquã † cõtractus feudi pfectus est cõsensu inter dominum & vassallũ, perfectè obligat ante inuestiturã, §. *est & alia, quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* deinde sequitur inuestitura, vt ibi dicitur: & post eam arctior nodus fit obligationis, priusquàm vassallus mittatur in possessionem. §. *si de facta. si de* 1

feud. defunct. content. sit inter domi. & agnat. quia missio in possessionem euanida est, sine præcedēte inuestitura. *cap. 1, quibus mod. feud. constit.* vbi quasi feudum retinet tantúmodo is qui accepit, quoad viuit: perfido esse impunè liceat domino concedēti possessionem sine inuestitura, *l. pecoris, de seruitut. rust.* nam licet quilibet suis heredibus acquirere videatur, nec soli sibi. *l. si pactum. de probati. ff. cap* 1. *de duob. fratrib* tamen lex nō sequitur eius votum, quādo perperam interponitur, sed cū persona ius extinguit, quod aliàs hæredem sequeretur, *l. Caius. ff. de annuis legat.* Diuersum dici videtur in *cap. 1. de consuet. recti feud.* vbi dominus alloquēs vassallum designatum: *Vade*, inquit *in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo*: nec alia inuestitura requiritur. idem si patiente domino & seruitium accipiente diu vassallus fundū feudi nomine tenuerit. hęc omnia habentur ibidem pro inuestitura; nisi comminiscamur ibi tractari de feudo personali hęredem non secuturo; vel, in posteriore casu præsumamus inuestituram præcessisse in dubio propter lapsum temporis, ideoq; ibi defertur possidenti iusiurandum, vt amplius confirmet, quæ asserit. Vbi autem liquido constat inuestituram minimè præuiam fuisse possessioni, oberit regula, quæ tradit, Omne feudum acquiri inuestitura vel successione, §. *fi. de feudi cognit.* vel deniq; tempore,

vt

vt iam libauimus, & fusiùs dicetur. Quare solo iussu ẽudi in possessionem feudi respectu non consummabitur feudum ad hæredes trãsiturum, nec si filii sint vel alii, qui sui hęredis locum nancisci possunt, quibus quidem faueretur, si dubium esset, an inuestitura pręcessisset possessionem annalem feudi, continuatam aspiciente domino, §. *fin. si de inuest. inter domi. & vassall. lis oriatur*. Sed in *d. cap. 1. de consuet. rect. feud.* quisque sciebat inuestituram non præcessisse.

2 † Ergo feudum appellatur ius hoc personale, sicut seruitus illa quæ non est, *d. l. pecoris. de seruit. rustic.* nec illi pares curię pręsentes augent vim adipiscendæ possessionis sine inuestitura, vt puta, cum testium dignitas nõ sit loco solennitatis expetitæ, nisi coram principe celebretur actus, *l. omnium, C. de testam.* & cum etiam coram curię paribus anxia forma inuestituræ desideretur, *cap. 1. quid sit inuestitura*, certè superuacua ibi præstetur solennitas hastæ porrectæ per dominum vassallo, vel alicuius rei corporeæ, quæ possessionem aliquam transfert, sed nõ perfectam. Vt enim natura in maximis animalibus generandis diutius incumbit, ita vt elephanti, iuxta Aristotel. in vtero partũ gestent biennio; sic lex naturæ imitatrix in tanti momenti cõtractum solertius elaborauit; quippe quem ad tuitionem Reip. initum agnoscit propter armorum obsequium, *cap.*

1. de prohib. feud. alien. per Lothar. & quē nihil non prorſus nobile ſpirare decet fœdere inuiolabili, in quo non tā de reb. quàm de perſonis quæritur, *cap. 1. an mutus vel imperfect.*

3 † Proinde ſicut in venditione duobus tēporibus bona fides emptoris vſucapturi requiritur, *l. 2. pro emptor. ff.* id eſt, tempus contractus & traditionis propter eximiam frequentiam celeberrimæ conuentionis & gētium ſocietati cōmodiſſimæ; ſed contractus reliqui traditioni bonam fidem concurrere tantum affectant: ſic omninò feudū duplici poſſeſſione indiget, altera ficta & myſterii plena, dū vaſſallus inueſtitur. Nec dubiū eſt quin à genere quodā veſtis ornamētive corporis inueſtituræ vox defluxerit: quia reges primùm cœperint vaſſallos veſte aliqua donare, aut ornamēto, vt annulo, *l argum. §. ornamenta. ff. de auro leg.* vt patet in *c. cum olim, de ſentent. & re iudic.* inde haſtā porrigi inſtitit: quia, vt Iuſtinus notat lib. 43 Romanorum regum ętate ipſi reges haſtas pro diademate habebant; quas, inquit, Græci σκῆπτρα dixêre, vel haſta data memorē faciebat vaſſallum pugnæ militaris, in qua deeſſe domino laborāti fœdiſſimum ſit, *cap. 1. quib. mod. feud. amitt. tit. 5.*

4 † Sed quare haſtæ traditio vt clauium nō trāsfert poſſeſſionem cum dominio, *§. item ſi quis. de rerum diuiſ.* maximè cum haſta ad militiam feudumque tam pertineat, quàm

clauis ad reſerandum fores horrei vel ædiū? Reſpondeo idem iuris vtrobiq; ſtatui: nam dominium transfertur clauibus traditis emptori, ſi apud horreum tradantur, *l. clauibus. de contrahen. empt.* ſic haſta ſi iuxta fundum feudalem exhibeatur vaſſallo, cum aſpectu ſolo poſſeſſio rei ſpectatæ pro traditione & longa manu fungatur, & perambulantis vice, *l. quod meo. §. ſi venditorem. ff. de acqu. poſſ. l. pecuniam, de ſoluti.* Vel fortè claues ſerarum appendices ſunt, & earum ius ſequuntur velut copulatæ, *l. 18. §. item cacabos. ff. de feud. inſtr.* etiamſi affixæ non ſint, *l. fundi. ff. de act. empt.* ergo parte ædificium tradita, id eſt, clauibus, & quidem non vltima, ædificium traditum videtur, licèt abſint ab eo contrahentes; ſed in *d. l. clauibus*, non dubitabatur de horrei dominio transferendo per clauium traditionem; imò de mercibus horreo incluſis.

5 † Quin priſco more forenſi, vnica gleba allata de fundo, de quo iudicio in rem controuerteretur apud prætorem, ita litigabatur ac ſi totus fundus inſpiceretur, vt A. Gellius tradit libro viceſimo, capite nono, qui mos antiquatus fuit. *l. 2. de prætoribus & honoribus prætur. libr. duodecimo C.* & alibi à nobis enarratus atq; integratus vtcunque: ſed ad contrahendi, non autem iurgandi vſum, in *cap. 2. de conſuetud.* vbi modi- cum terræ fundi donati porrectū accipienti

ad possessionem transferendam si Pontifici Rom. credamus, sufficit. at apud Herodotũ lib. 4. Darius Persarum rex Indathyrso regi Scytharum iubet per nuncium, vt ad se tanquam ad herum veniat, terram & aquam adferens muneri. Sic cum Apollo dedisset Sibyllæ Cumanæ, vt prius mori nequiret, quã patriam terram Erythrææ insulæ reuiseret, ad eam sui ciues patria Creta signatas misere literas, quibus inspectis illico obiit, sicut Seruius scripsit lib 6. Æneidos. Non spernẽdus igitur venit ritus ille extenuis rei corporalis concedendæ vel demonstrandæ, non magis quam iactus lapilli nunciãtibus opus nouum salubriter, ne possessionem transferant in aduersarium, *l. de pupillo. §. meminisse. ff. de oper. noui nunciati.* quã nunciatio verbo tenus vtrique transtulisset. Deniq; Christus in terram expuit, & fecit lutum ad sanãdum oculos cęci nati. Ioann. cap. 9. cum potuisset nutu solo idem præstare. proinde idẽ Deus vassallis suis præcipuis, id est, regibus, *can. quæ contra. 8. distinct.* cum feudum illud inclytum imperii in eos trãscribit, iubet inuestiri vnctione, qua Samuele Propheta exercente Saul inauguratus est, *libr. Reg. 1. cap. 10.* succedunt coronę sceptraq;, quorum vice hastas quõdam vsurpatas Iustinus memorat, vt paulo ante ostendi. & cum aquila pileum præteruolãs sustulisset Tarquinio Prisco Romam eunti, suspensis leniter demissa

alis,

alis, vt T. Liuius dicit lib 1. ac mox reposuisset capiti, Tanaquil vxor eius regnum viro portendi intellexit; atque pileo iam eum inuestiri ditione post Ancum Martium regẽ quartum: vnde pilei impositio etiamnum in multis inuestituris vsitatur, vt olim pro indicio datæ libertatis pileatis mancipiis, *l. 1. §. sed & qui. de Latin. libert. C.* nisi cum venderentur pileum ferrent. vt notat *Gellius lib. 7. cap. 4.*

† Certè nulla fuit gens quæ olim non aliqua inuestituræ insignia vsurparet. nec me mouet, si vspiam obliterata per desuetudinem fuerint: nã & seruitus personæ in Gallorum amplissimis finibus exoleuit: nec cõtinuò desinit esse iurisgentium. inde manauit, vt seruus inuestituræ capax sit § *personã. per quos fiat inuestit.* nec enim amittit ea, quę sunt iurisgentium, sed quæ sunt à iure ciuili, *l. quod attinet. de regul. iur. l. quidam. de pœnis. ff.* Sed quispiam cõtracta fronte hoc audiet, cum seruus possit hęres institui exspectata ipsius voluntate in adeunda hæreditate. *l. 3. C. de hæred. inst.* tamen solennia testamenti sunt a iure ciuili, *l. 3. de testam.* Respondebo ipse seruum sibi vel alii testamentum condere non posse, licèt figuras literarum exarare queat, *l. seruus. ff. eod.* quas nemo curæ habet præ voluntate testantis vel contrahẽtis. *l. non figura. ff. de actionibus.* & sensus nudus eius quod fit in solennibus testamenti, 6

sufficit circa id operantibus, *ff. de testam. l. qui testamento §. si.* atqui feudum per seruum quoque inuestitura facta transfertur, *d. §. personam.* sicut per liberum procuratorem, vt ibi explanatur. nec dubium est aliquem iurare per procuratorem in animam constituẽtis, vt fecit Federicus August. cum Henrico filio per Rodulfum, *cap. nomina. §. penult. de pace Constant. can. optatum. dist. 100.* vnde colligo tractari ab Oberto de feudo in seruum translato, vel accepto ab eodem, alieno nomine, vt domino acquirat, cui contractus præcedens profuit. & hoc ita, si modo serui conditio non ignoretur. alii malunt intelligi de feudo, in ipsius serui vtilitatem cesso: sed exemplum, quod subditur procuratoris, me aliò illexit.

7 † Queramus ergo quid dicendum, si seruo met feudum datum fuerit, postquam ex contractu inuestitura sequetur scientis eum seruum esse, etsi alienus seruus fuerit: putẽ distinguendum, cui honor habitus fuerit, ipsine seruo an domino: vt priore casu valeat, nequeat imò posteriore; *d. l. 3. C. de heredib. instit. l. 3. § 1. de legat. præst.* nam feudum ob militiæ honorẽ inducitur, præterquam quod nobilitatis aliquid semper secũ trahit à plebeia conditione alienæ, *cap. 1. vers. cæteri quis dicatur dux, march.* atqui seruo militare capitale est, *l. ab omni. ff. de re milit.* sed fortè lege Iustiniani hodie desiit esse capitale: quia

le: quia aut seruus audet militare consentiẽte domino, aut ignorante: vt illo casu seruus libertate donatus censeatur; hoc aũt, reddatur domino, *l. pe. qui militar. poss. lib. 12. C.* & vtiq; equum est seruum inconsulto domino militantem eidem reddi; ne se tam mala ratione possit subtrahere & perdere cum damnodomini; pinde seruo capitalis pœna infligitur, non mortis naturalis, sed atrocioris correctionis, vt castigat⁹ domino reddatur. *l. 1. §. cum seruus, ff de iis qui deiecer.* & scimus capitalem adiectionẽ aptari variè pro modo eorum quib. heret. *l. licet, de verbor. sign. l. hoc accusare. §. omnib. de accusat. ff.* nam etsi serui nequitiadomino innocuo atq; inuito iacturam ferre non debeat; non tamen tanti eum facienda vtilitas domini vt publica emendatio negligatur, *l. licitatio. §. quod illicitè. ff. de publican.* Cum autem ex consensu domini seruus, modo sit idoneus, militare incœpit, nõ potest argui audacię: quia ante inuenitur liber quam militet; vel certè eodem mõmẽto. *d. l. pen. C qui mil poss.* quin imò lex cursim properat, vt libertas pręuertatur militiam, *l. quidã. de pecul. leg. ff* Vnde multo magis feudum datur seruo à domino, præcedente tacitè libertate; quia non confestim vassallus militare tenetur, sed aliquãdo cũ iubebitur, *§. licet. si de feud. contentio sit inter domin.* Nec inuidendum est bellum seruis, cũ bello Punico Romæ in numeros relati sint spontè

cum dominis pugnaturi. vnde etiam *Volones* appellati fuerunt: quia arma capere voluissent. & prælio Cannēsi fusi ab Annibale Romani octo millia seruorū emere maluerunt, vt se in ea tempestate tuerentur, quàm captiuos redimere. Idem fecit Cleomenes Lacon, ex seruis manumissis nouem millia conscribens, cùm ciues mille & quingenti tātum superessent bello boni, vt tradit Macrobius lib. 1. Saturnaliorum; vel potius ideo manumisisse dux ille creditus est, quod militare eis permisisset: quippè cùm, quamuis militassent serui dissimulato statu suo, tamē re bene gesta libertatem meruissent, & accepissent, vt in militia forensi, *l. Barbarius ff. de offic. prætor.* à qua ad castrensem optima est comparatio, *d. l. pe l. fin. C. qui milit. poss.* nec obest *l. 3. §. in bello. ff. de re mil.* vbi secundus exitus militis strenuè rem gerentis non eripit eum supplicio, cùm rem à duce prohibitam adorsus est; quia in exemplum fuit puniēda proteruitas prohibiti in specie, ne quippiam auderet. Seruus vero se pro libero gerens, nemini exemplo est; vt in seruitute militet, cum prudēs & latens sub digniore prætextu, palam liber habeatur, & tādem cum feliciter pugnauerit, ingenuis exemplum dat salutare, vt conentur seruile decus superare inuictis animis. nec dubiū est pœnas incuti vel præmia tribui, vt facinora tetra cohibeantur, vel accendantur nobilia. *l. 1. ff.*

1. ff. de instit. & iur. l. 1. & 4. C. ad legem Iul. repetund. maximè cùm de remuneranda pietate serui erga dominum quęretur armis patefacta, *l. 1. C. quib. ex causis serui pro præm. libert. accip.* Planè cum princeps supremus feudum cōfert seruo, non dubium est, quin eum illico nobilitet & idoneum faciat, *d. l. Barbarius. in fin. de offic. prætor. l. quidem. ff. de re iudic.*

† Transgrediamur opportunè ad Pontificem Romanum, & ad feuda ecclesiastica, eò lubètius, quod & ille summo nititur imperio & seruum seruorū se inscribit deducto more à Gregorio I. à doctrina & prudentia *Magni* cognomētum nacto, vt aiūt, fortè q̄ iuxta Euangelicam præceptionem primus quisque Christi imitator ministtum se præbere debeat, vti docet interpres, in procem. epistolar. Decretalium Gregorii IX. sic Iustinianus vltimum seruorum Dei se dicit, *l. 1. §. 1. de offic. præfect. prat. Afric.* similiter diaconus claræ dignitatis, inseruiens minister vocatus est ab Isidoro in *can. cleros. §. leuitæ. 21. dist.* à verbo διακονέω. Aristophanes in Auib. ὡς βλακικῶς διακονεῖς, id est, vt *stupidè ministras*, proinde seruus ille Regibus imperans Pontifex Rom. eosdem excommunicat, vt Innocentius Archadium Aug. *can. duo sunt. 96. dist.* vel omnino eos à regni feudiq; amplissimi fastigio deiicit, *cap. 2. § fin. de re iudic. lib. 6.* sine dubio feuda instituit & vassallos li- 8

gios habet, vt antiquitus regem Siciliæ, de quo satis multa superius tractauimus ex *Clem. 2. §. rursus. eod. tit.* nec dubium est Martium aliquid ac planè feudo militari dignum sapere virum duob. gladiis fretum, vt in *Extr. de maiorit. & obed.* Ioannis XXII. vbi quoque intra loca patrimonio sacro assignata, iudices, capitaneos, officialesque constituit, atque intrusos expellit: & quoniã in omni feudo post inuestituram iuramentum fidelitatis præcipuum, est velut nodus fœderis feudalis, *cap. 1. quid praced. debe. an inuestitur.* cum Pontifici collibuit, subditos liberat à fidelitate regum: & hac arte Pipinus Caroli Magni pater Childericum regẽ, alioquin mollem & forti populo moderando imparem, vt annales testantur, abdicauit Franco imperio, consulto Zacharia Papa & assentiente, *can. alius & can. pe. 15. q. 7.* non quod propterea Papa regum aliquem sibi vassallum esse arbitretur, quia præcessorem iustis de causis expulerit solutis sacramento subiectis; cum spiritalis potestas à tẽporali discreta sit, nisi in iis in quibus vtrumque specialiter quæsiuit, sicut de Siculo regno dictum est, *can. cum ad verum. 96. dist. & can. quoniam, dist. 10.*

9 † Atqui iuramentum in regione numinis versatur. *l. qui per, ff. de iureiur.* ideoq; à Põtifice facile soluitur. Sẽper nãq; respectu Dei iuratur, etiãsi per salutẽ domini iuratũ sit, vt

illic

illic Vlpianus ait, sicuti cum Ioseph deierat
per salutem Pharaonis regis, Genesis cap.
42. Etiam, inquam, si per canem iuraret, vt
Socratem ferunt, vel per anserem, vt de illo
scripsit lib. 6. Philostratus; vel per caput suũ
vel domini, modo ita partibus placuisset. *l. 3.
§ fi. ff. eod.* sine offensione publicę receptę re-
ligionis, sed aliqua superstitione peculiari,
quæ plerunq; à singulis recipitur, ne nomi-
natim per Deũ iurent, qui tamen testis adest
vbiq;, sicut omnia creauit. *l. non erit de iure-
iur. ff. cap. & si Christus. eodem.* Hæc quidem
nõ aliena sunt inuestituram describentibus,
& à quib. fiat, ac quomodo iuxta se iusiuran-
dum mox habeat à cliẽte deuoto prę standũ.

† Sed redeundum est ad ipsum Pontifi- 10
ficem, qui recte feudum nouum instituit,
de rebus suis, vel de rebus Ecclesiæ. Sed de
suis, quoties voluerit, potest feudum face-
re, cum cuiuis clerico idem liceat, *cap. 1. de
cleric. qui inuestitur. facit.* Cæterum de re-
bus ad ecclesiam pertinẽtibus dubitari me-
ritò poterit; cum Symmachus Papa statue-
rit, ne liceat Papæ prædium Ecclesiæ aliena-
re, vel pro aliqua necessitate, nec in vsum-
fructum dare, nisi domos immodica impẽsa
sustentandas; vtiles autẽ reposci ab ecclesia-
sticis contra accipientes in omni prouincia.
l. non liceat. 12. q 2 tamen eludi potest Sym-
machi sanctissimi viri Clodoueo Franco-
rum regi quinto, æqualis sanctio, quæ feu-

dum quoque complectitur in perpetuo vsufructu consistens. *cap. 1. §. fin. in quib. caus. feud amitt.* Si quis dicat Papam omnia præsumi iustè agere, nec à quoquam iudicari, *can si Papa. 40. dist.* quod intelligo, quandiu Papa concedens viuet: nec enim legem successori, vt par pari dare potuit. *cap innotuit. de electi.* nec quidē Symmachus in *d. can. non liceat.* vbi tanquam optimus philosophus ostendit non licere Papæ alienare res Ecclesiæ, vel ex aliqua necessitate, sed tamen non obligat successorem: præterea aliqua necessitas debet intelligi tenuis, *l. 2. de public. iudic. ff.* & aliquid damni, id est, modicum. *l ex conducto. §. pe. ff. locat* hoc dico adiutus ratione: quia nisi ex necessitate vrgente res Ecclesiæ alienarentur, sæpè ex priuilegio damnū acciperet, quod admitti non debet, *l. 3. §. fin. ge. ff. de Carbon. edict. l. quod si minor, §. nō semper. ff. de minorib. 25.* sic fundum dotalem sinit alienari lex Iulia pro vtilitate mulieris, *l. fi. ff. de iur. dot.* Quid enim si ingens territorium esset ecclesiæ affectum, sed finitimum sedis Romanæ hostibus, aduersus quos strenuo propugnatore opus esset? an non satius esset id feudo ascribere, quam eo sine fruge potiri, cum episcopo idem permittatur, *cap. fi. de feud.* vbi in feudo nouo nihil secus Innocentius III. statuit, ratione generali subiuncta: ne ecclesia prorsus prædio careat, cum alicui laico id dare cūctatur, quod à po-

à potentiori detinetur. Et profectò idem innuit Symmachus, cum propter impẽsam sine reditu alienationem permisit. *d. cano. non liceat. & cap. vt super. § si de reb eccles. alien.* nã etsi feudi nouitas odiosa sit Ecclesiæ, tamen è duobus malis minus est eligendum. *can. duo dist. 13.*

† Præterea animaduertendum erit quæ personæ ecclesiasticæ, & cuiꝰ dignitatis, feudum dare consueuerint. *cap. 1. de iis qui feud. dar. poss.* quod Accursius intelligit pertinere non ad noua feuda, sed ad vsitata antiquitus post decretum Vrbani Pontif. *cap. 1 episcopũ vel abbat.* maximè si dubitetur, vel si certum sit prædia ad mensam Ecclesiæ spectare, *d. cap. vt super. de reb eccles, alien,* nouum itaque feudum fundabitur ab Episcopo vel abbate tantum ex causa probabilis necessitatis, & cum solennitate præscripta in *Authent. hoc ius porrectum. C. de sacros. eccles, cap. 1. de reb. eccles. non alien. lib. 6.* quippe cùm vetitum alienari, in feudum concedi nequeat, *§ sed etiam. per quos fiat inuestit.* At feudi antiqui continuatio licita est, si forsan feudum reuertatur ad Ecclesiá, adeo vt cognatis honestis præsulis tribuatur, si ipsi videatur. *d. cap. si. de feud.* nec obest *Auth. quacunq. C. de sacros. eccles.* vbi œconomus non rectè eligit emphyteutam Ecclesiæ de cognatione sua; quoniam de noua hoc intelligitur, quæ fauore cognati in fraudem Ecclesię fieret sępè II

exigua pensione, vt patet ex §. *emphyteu-ses*. §. *œconomis. de alienat. & emphyteus. in Auth. collat.9.* qui vero eodem modo pergit feudum vel emphyteusim cognato dare, quomodo antea consueuerat, fraudis immunis intelligitur, & alienatio tolerabilis vel potius suffectio quędam in prioris locũ, *l. pater filium. ff. de leg.* 3. sicut etiam refectio fauorabilior est noua molitione, *l. final. C. de Iuda. l. fundi. §. fin. de acti. empt.* Alii malunt prælatum posse cognato feudum antiquum dare, non œconomum administratorem simplicem. Sed profectò reuera prælatus minister est, vt paulo ante ostendimus ex fortuna serui seruorum Dei.

12 † Inde sequuntur non spernendæ differentiæ feudi ecclesiastici & laici, quoad concedentes: nam si clericus contraxerit de feudo antiquo ecclesiæ cum Titio, & à promissione ipsum inuestiuerit, deinde mortẽ obiuerit ante vlteriorem possessionem traditam Titio, exinanitur feudũ, nec successor clerici cogitur sequi vestigia prædecessoris: verum in laico secus est, §. *fin. quib. mod. feud. constit. §. si. qui successores tenean.* nam laici ius hæret firmius, quia hæredem de sanguine suo habet, vel alium saltem, qui lucrum capit ex successione: nec ei debet obstrepere à quo lucrum accipit, vt etiam notat Accursius, *l. si ab eo. C. de liberal. caus.* Aliter ecclesiastic⁹ successor, qui munifico largitori bonorum

norum ecclesiæ gratias agit, non episcopo premortuo, cui ipse par est, *ca. innotuit. de elect.* imò lõgè potior: quia hinnulus viuus fortior est leone mortuo, vt ait Hebręus sapiẽs.

† Ex eodem fonte manat alia differentia: 15
quod dominus laicus fore prȩuidens, vt vassalli sui forte liberis agnatisque defecti feudum sibi propediem aperiatur, potest illud dare alii, captura effectum inuestitura, cum tandem sibi vel suo hȩredi apertum feudum fuerit: at in Ecclesiastico domino non perinde valebit ex persona successoris, si non se viuo feudum ad eum reuersum fuerit, & inde possessio iam tradita vassallo designato. *d. cap. 1. qui success. tenẽatur. §. morib. si de feud. defuncti contentio sit int.* Vbi additur vassalli viuentis consensum in ea re non requiri, *cap. fin. de feud. dat. in vicem leg. commiss.* cuius quidem mors per alterũ nouum vassallũ captabitur, sicut tamẽ requirit cõsensus eius, de cuius successione pactũ initur, in *l. fi. C. de pact.* eo quod vassallus nõ tã domin⁹ est pdii quã perpetuus vsufructuarius, sequitii mole oneratus: ideo dominus cõferet alii feudũ impunè, expressa lege vt post mortẽ alteri⁹ ipse fruat non purè in præsenti, *c. 1. de cler. qui inuest.* siue laic⁹ sit, siue cleric⁹. Quare aũt clerici inuestitura sola nõ pdest in pposito citra missionẽ in possessionem, ratio est, qa clericus, vt dixi, nõ habet posteros hȩredes, nec electos à se, sed necessarios aliun-

de accitos, eoq; vulgò gratiores, quo magis ignoti fuerint, *cap. ad decorem, de instituti.* Addo ecclesiasticæ personæ cultum pietatis & iustitiæ magis quadrare quam plebeiæ, *§. pen. de alien. feud.* igitur feudi concessio votum mortis alienæ captatorium cõplexa vtcunque in laico toleratur, non in clerico sic laicis licet pactum inire de viuentis incertæ personæ hæreditate, si qua obuenerit, *l. 5 §. de illo. ff. pro socio.* non ita collatio recipitur de viuentis incertissimi beneficio, *cap. 2. de concess. præbend.*

14 † Iam maturemus ad clericos feudum accipientes, quemadmodum eis olim licuit cũ belli ratione feuda concederẽtur. vnde vassalli appellantur milites, *cap. 1. de contenti. inter domin. & vassall.* & cum clerici belligerarẽt, maximè ob Christianam religionem ab inuasoribus defendẽdam, vt Saluinus & Sagittarius episcopi Galli aduersus Longobardos pro Guntranno tetrarcha, anno Christi 569. aut circiter, vt est apud Gregorium Turonensem, lib. 4. Franciçę historiæ: tũc enim Longobardi feudorum architecti in Gallias irruperant: vix vnquam enim antiquis in præliis defuêre Sacerdotes Reip. amantissimi: non ille quem occidit Æneas Æneidos lib. 10.

—Hæmonides Phœbi Triuiæq; sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste, atq; insignibus armis.

Et

Et nostra memoria Hippolytus à Medicis Cardinalis, præfectus fuit militiæ Clementis V I I. Romani Pont. aduersus Solimanũ Turcam, Hungariæ atque Austrię infestissimum, felici admodum successu pro Republica Christiana.

15 † Et eò pertinet Conradi regis constitutio, vt si clericus feloniam committeret aduersus principem, feudo multaretur, quoad viueret, sine clerici successuri incommodo, ad quem feudũ reuerteretur. §. *fi. de capitul. Conrad.* vt in *l. peto.* §. *prædium, ff. de legat. 2.* non enim rex feudũ diutius detinebit, quam is à quo per offensionem acquisiuit, cum exteri successoris pernicie.

16 † Nec obstat clericis magnanimis illud Gregorii Papæ. Si, inquit, in morte Longobardorum miscere me voluissem, hodie gẽs eorum nec regem neç ducem haberet: Sed quia Deum timeo, me morti hominum miscere formido, *can. si in morte, 23. q. 3.* vbi Nicolaus Papa prohibet episcopos militia occupari, etiam contra piratas: quoniam hoc statutũ est, vt delectus aliquis fiat, ne temere sine causa vrgente deseratur diuinum obsequium ex permissione armorum & laudatione, nam ibidem Leo Papa aduersus Saracenos pugnaturus, vrbem egreditur, & milites inuitat ad pugnam, & sic consilio iuuat militiam præmio fruiturus. *l. 19. §. fi. ff. de captiuis.* Quis enim nõ laudauerit Pontificem

aut clericum desertæ duce aut milite Reip. subuenientē sine feriarum distinctione, *can. si nulla. 23. q. 3. l. diuus. ff. de feriis.* vnde liquet sacris dicatū tēpus & personā ꝓpter necessitatem hostis repellendi licitè bello applicari. Insuper Papa à comitibus nōnullis feuda accipiens, aliisve nobilibus viuis se non inuitus subiicit obsequiis; vel ad hoc vt plures ad claram erogationem prouocentur & fas est potentiori se submittere, *can. Petrus. 2. q. 7. l. est receptum, ff. de iurisdict.* sed per aliū seruire potest. *l. quisquis.* 1 *C. de episcop. & cleric.* Verum, inquiet alius, qualiter clericus feudo potietur ratione militiæ, cū iam feudum tenens eo priuetur, si clericus fieri cœperit vel religionis votū subire, §. *si quis per. si de feudo defunct. content. c. 1. de vassall. milit. qui arma bellica deposuit.* vbi miles Christi desinit esse miles seculi. tamen nemo nescit quantopere iuris adepti retentionem iuuemus præ acquisitione, *l. 3. C. de pact.* Sed considerādum venit clericum in dubio bello abstinentem creari, & ipso facto initiationis semetipsum abdicare armata militia, nisi ipse pacto expresso aliud exciperet in voti exordio, sicut de feudo fæminæ dici solet, à quo huc ducitur argumētum, *cap. 1. de feud. fœmi.* at cum aliquis est clericus, & feudum accipit, vel dignitatem ecclesiasticam, cui adnexum est, tunc apertè detegit quid sentiat, *l. non distinguemus. §. sacerdotio. ff. de*

recept.

recept. arbit. & ius quæſitum debilius eſt iure acquirendo, cum pendet ab arbitrio eius qui vtrumuis potuit, liberè accipere vel refellere, vt Paulus ibi docet, falſus ſacerdotes Dei ſacris vacare oportere. niſi & profanis indulgere in re permiſſa ſimul voluerint, aut per ſubſtitutum bellandi peritum potius domino ſubuenire. §. *firmiter. de prohibita. feudi alienation. per Federic.* nec culpandus eſt clericus, qui feudum capit beneficio ſancto copulatum, quod non tam ei quam clericis longa ſerie fruituris aſſcriptum cenſetur. *l. annua* §. *fi. de annuis legat.* ex ſuperioribus definiri poteſt anceps quæſtio, An feudo priuetur aliquis, qui fit clericus, ita ne cum fratribus ſuccedat, vel ne agnatis aliis obſit: quod puto verius, ſi fuerit profeſſus religionem aut ſacra irreuocabiliter: quia aliis locum fecit ſine ſpe regreſſus. §. *præterea, quibus mod. feud. amitt. tit. 5.* ſed apertius in §. *fi. de feudo fæm.* nec qui repudiat vt filius, poſtea vt agnatus admittetur ex *l. 1.* §. *quib. de ſucceſſ. edicto. ff.* quia vt miles Chriſti prorſus ſeculi militiæq; munus à ſe repulit nō fratrū fauore ſingulari, *l. in pluriū, ff. de acq. hæred.* nec puto monaſterio feudum cū perſona applicari, vt poſſit, ſicut quidā putāt perperam, feudo ſeruire per ſubſtitutū: quia cultrix eſt iuſtitiæ Eccleſia præ cæteris in feudis, *cap. 1. de alien. feud.* nec recipere debet ſubſtitutos paſſim ſine neceſſitate in

obeundis militiæ periculis & homagiis domino præstandis, quæ quisq; mauult ab honesto vassallo quàm à suffecto famulo excipere, si non aliud suadeat necessitas, §. *si quid sit inuestit.* nõ est aũt illa inspectãda quam sibi quisq; voluntariè imposuit ex ingressu religionis, *l. si fideiussor*, § *1. ff. qui satisd. cogant.* proinde idem dicendum esset in cruciferis militibus Turcicæ militiæ obiectis. nam etsi armis incumbant, tamen professi sunt se soli Christo militaturos; & limitata est eorum functio. *can. Iulianus. q. 3.* quin etiam si domino seruirent seculari, à propulsandis Turcis auocarentur extra votum, quo semel initiati fuerunt. Et notum est, diuina præceptione duobus dominis nõ benè seruiri, cælesti & populari, *l. sed addes.* §. *fin. cum l. seq ff. locat.* præterea è duabus militiis eligi vnica potest, ex quo cum à priore propter votum abire nefas sit, feudo miles crucifer priuaretur, *l. 5 qui milit. poss. lib. 12. C.*

17 † In cuiuslibet personę feudo ętas exploranda est, siue dum concedit, siue dum accipit. inprimis namque si feudum nouum est, atq; ita dum fit alienatio, *l. fi. C. de rebus alien. non alie.* id prouidendum venit, vt iustæ sit ætatis qui concedit, suis rebus administrandis idoneus: quia qui nequit alienare nec feudum accipere, *cap. 1. per quos fiat inuestit.* tamen possessionem veram implebit noui feudi à patre instituti & mortuo post inuestitu-

stituram: quia necessaria est, *cap. 1. de cleric. qui inuestit. fecit.* sicut tradere teneretur domum à patre iam venditam, *l. Polla. C. de iis quib. vt indig.* multò fortius inuestituram faciet antiqui feudi, & maiores suos imitabitur, *d. cap. 1. per quos fiat inuest.* nec opus erit decreto prætoris in hac re, *l. magis. §. si pupillus. ff. de rebus eor. qui sub. tut.* ergo adolescentis curatores, per quos pupillo comparatur, idē explebunt, *l. 3. C. de in integr. restit.* & iniussu prætoris inuestient veteres vassallos, eorumve successores. Non autem nouos facient, quia feudo transfertur vsusfructus perpetuus. *d. §. si. in quib. caus. feud. amitt.* vbi quoque feudum dicitur beneficium & liberalitas; ergo non licebit maiori ratione id audere, cum vulgaris morte accipiētis desiturus vsusfructus arceatur à prædio minoris. *l. 3. §. si ius. ff. de rebus eorum qui sub tutel.* nec aliquid proficiet prętoris decretum, vbi minor apertè læditur quin restituatur. *l. si quidem. C. de præd. & aliis reb. mino.* atqui in munificentia sua lucrifacere pupillus vel adolescens nequit. quia etsi prædium sterile sit, quod feudo nouo assignat, tamen liquet inde parum seruitii à vassallo nihili homine & ieiunum feudum capiente accepturū, *l. pen. ff. eod.* præterquam quod homagio honorifico non admodum marsupia intumescunt, sed homines.

† Sicut è diuerso feuda pleraque eò redi- 18

guntur, vt plus onerẽt vassallum, quam honorent ac prosperent. vnde non potest minor feudum accipere, quo homagium interim facere cõpellatur. §. *si quis per. vers. si minor. si de feud. def. cont. sit inter dom.* nisi doli capax efficiatur: antea verò claudicat cõuentio. quia dominus obligatur, non minor, *l. Iulianus. §. si quis à pupillo. ff. de actior. empt.* Cæterum doli capax restituetur, si quidem læsionem alleget, vt vidimns ex generali regula, nisi cùm per ignauiam pubes non petit inuestituram à domino intra annum & diẽ, *§. præterea. de prohib. feud. alienat. per Feder.* quod respicit ad feudum nouũ. cum enim, vt opinor, aptus fuerit cautus iuuenis ad acquirendum feudum, nõ debuit se ineptum præbere ad petitionem inuestituræ. Accursius autem existimat adolescentem cõtra incuriam restitutum iri à iudice: atque ita Federici asperã sane constitutionẽ superuacancã reddit: quia sine dubio minor feudo spoliatus se læsum queretur; meo tamẽ iudicio, frustra, cum admonitus abũdè fuerit feudi nomine à principio, quo fidelitas infertur. nã etsi succurratur minori decepto, dũ militiam non acquirit. *l. 3. §. si quid minori. ff. de minorib.* tamen beneficii collati immemorẽ iuuari non decet, nec annis, vt nec facili rusticitate, excusari, *l. venia. C. de in ius vocand.* licèt huic aliâs subueniatur vt serui, *l. 2. § fin. ff. de iure fisc.*

† Quam-

† Quamuis autem impuberi ignoscatur, si inuestituram non petierit, §. *si quis decesserit. si de feud. defunct. content. sit inter dom.* tamen tutor consultissimè faciet, si eum iurare faciat maturè, capacē intellectus, vel etiā vix sentiētem quid agat, modo dominus eo cōtentus fuerit, *l. qui iurasse, ff de iureiur.* nisi tutor pro illo iurare maluerit, præsertim cum hoc casu de periurio ancipiti non dubitetur; sed de promissione verisimiliter seruanda inposterum per impubem vassallum, cum adoleuerit, *l. 4. de in lit. iur.* & interim quoque per subrogatum impuberi ad seruitia, *d. §. si quis decesserit.*

† Nondū expleuimus conditiones hominum, de quib. excitari possit, an feudū dare possint nouum vel accipere; nam supersunt rustici, de quib. nihil definitur pro certo, in §. *ex eadem. de leg. Conrad.* sed tantūmodo dicitur dominū posse feudum partim alienare etiā rustico, si vnà curiā suam alienet inscio vassallo, vt placuit Oberto, cui pleriq; refragabant̃, vlteri⁹ à me *d. l. vt nemo ad suū patrociniū recip. rustic. l. 11. C.* vbi inhibent̃ cliētelę rusticorū: verū de his fusi⁹ disseruimus, vt ostēderem⁹ nō in rei rusticæ inuidiā id a Leone Cæsare sancitū, sed ob multitudinem cōpescendā, quę rure euocata ad vnius potentum audaciam adiuuādam publicis tributis derogabat. nā si antiquiora repetantur feudorū incunabula, exploratum est maximos 20

olim regionum principes agriculturam tráctasse, vt Isaac, & cum venisset in terram Palæstinam collegit centuplum. Gen. cap. 26. & Iacob filius ipsius pastor fuit eximius, cap. 30. Citetur insuper Dux industrius Mago Carthaginensis, quem Plinius laudat, & Iunius Columella *parentem* vocat *rusticationis*, cuius octo & viginti volumina senatúsconsulto in Latinum sermonem versa fuêre. Itemq; C. Fabritius Pyrrho rege finibus Italię pulso manibus, quibus hostes domuerat, vtinam incuruus tenuit, vt Curius Dẽtatus ex agricolis milites strenuos gigni, & minimè malè cogitãtes: nam quod gladii armaq; auferuntur à rustico propterea multando, *§. si quis rusticus. de pace tenend. & eius viol.* ad belli vsum non respicit, sicut nec ad venationis: cum duellum illic permittat rustico Cęsar, in *§. si rusticus. & l. 1. ff. ad l. Iul. de vi publ.* tantum prohibentur pergere in cultura rustici, quamdiu stipendia merent in ea prouincia, in qua ipsi militant, nõ in alia, ne dulcedine operæ à signis auocentur. *l. milites. 2. ff. de re milit.* nisi impletis stipendiis, aut nisi hæreditario iure, dũ merent, ea consequantur. *l. milites. 1. eod.* quare feuda militiæ addicta iis bellissimè conuenient, si non vetet consuetudo, quæ in feudis dominatur personis ac rebus, *cap. 1. de iis qui feud. dar. poss. cap. 1. de feud. cognit.* nec finit nobilitatem in feudo nouo institui inconsulto rege. *§. pen.*

quis

quis dicatur dux, March. de sextu feudis idoneo statim sum dicturus, cum de successione disputabitur.

CAP. V.

De succedentibus in feudis, siue mares siue fæminæ sint ex liberis. quid de ascēdentibus, vel agnatis à latere: quid de prole illegitima.

NOTABILIA.

1 *Quare fæminæ in feudis non succedant.*

2 *Fæmina dat feudum, nec accipit.*

3 *Filii ex fæmina, licèt armis polleant, à feudis arcentur.*

4 *Cum recipitur feudum pro maribus & fæminis, si subsit mas, non redit amplius feudum ad fæminas: quod ex pacto fæmineum fiet.*

5 *Hæredis nomen in feudis solum continet filium.*

6 *Feudum quamuis propriè sit fæmineum, redire studet ad masculos; quid si illud fæmina fundauerit?*

7 *Ad ascendentes vassalli non ibit feudum.*

8 *Quod feudum refutatum fauore filii ad patrem superstitem redeat.*

9 *Ad collaterales verò ibit successione antiquum tantummodo, & qualiter frater feudum participet quæsitum à fratre.*

10 *Si communi fratrum periculo seu pretio ac-*

quiratur, quid iuris sit; & an sit ius accrescendi in feudo.

11 *Feudi vsusfructus an ad patrem vassalli spectet.*

12 *An filii fratrum in stirpes succedant, vel in capita.*

13 *Filiorum sepè deterior est conditio, quam extraneorum.*

14 *Filius nequit repudiare hæreditatem patris, retento feudo.*

15 *Agnatus recuperat partem feudi alienatam, non filius.*

16 *Emancipatus filius succedit in feudo, non adoptiuus.*

17 *Exhæredatus à patre feudo simul caret.*

18 *Naturales tãtum filii an in feudis succedant, saltem si legitimentur.*

19 *Quid dicendum de spurio in matris successione, vel in feudo nouo.*

1 † SVccessiones feudorum inspecturos decet primùm duos sexus secernere; quorum alter feudi tantum capax est. nam feminæ procul arcentur, §. *hoc autem, de iis qui feud. dar. poss.* ideo quod feuda ob militare obsequium domino & consequenter reip. toti defendendę potissimum inducta fuère, §.*1. de prohib. feud. alien. per Lothar.* vnde *militis* nomine passim vassallus intelligitur, *ca. 1. de cõtent. inter dom. & vassall. de inuestit.* aut vassallo militis adiectio tribuitur eadem ratione, *cap. 1. de vassall. milit. & cap. 1. de milit. vassall.*

vassall. proinde cum resp. duobus vinculis firmetur, armorum & iudiciorum, vt Iustinianus præfatur in Institutionibus, ad vtrũuis fæmina moribus inepta est, *l. cum prætor. §. penult. de iudic. ff.* sed ad arma multo magis propter sexus fragilitatem, & meticulosam mollemq; naturam, ita à militis duritie abhorrente, *l. 1 §. fi. ff. de militar. test.*

† Vnde sequitur fæminam feudum nouũ dare posse, *§. fæminam. per quos fiat inuestit.* quia dum tam ardua fundamenta iacit, cum beatius sit dare, quam accipere, vt ait Apostolus, inuestit armis idoneum hominem, quorum ipsa expers censetur. Nec est nouũ, vt quis alii præbeat, quod ipse non habet. *l. non est nouum. ff. de acq. rer. dom.* & oculus qui videt omnia, se ipsum videre nequit. Sic Dido regina Carthaginis regno Romæ imperium ęmulatione diuturna fatigaturo initium dedit: *Septa armis solioq; altè subnixa resedit*, vt poëta refert libr. 1. Æneid. tamen armatâ manu nihil memorabile gessisse legitur, vnde agnatos vassalli præfert lex filiæ, quamuis patre viuo inuestitæ. §. *hoc quoque, de success. feud.* vnde etiam frater fratri paciscens se feudum ei hæredibusq; eius remittere, id recuperat ex integro, si mas fratri nõ agnascatur. §. *fi. si de feud. defunct. conten.* 2

† Quamobrem Accursius in *d. §. hoc autem*, miratur, quare fæminarũ filii armis valentes simul à feudo excludantur, nec se ra- 3

tionem ſcire teſtatur; alii tamen eam adfe-
runt, quod nemo debeat eſſe melioris con-
ditionis quam is à quo ius habet, *l.in iis offi-
ciis.§.fi.ff.de regul.iur.* Certè mihi videntur
rationes expeditę & naturales, ſi conſidere-
mus ex vitiata radice ſtipitem ſincerum diu
non manere, nec ex carioſo ſtipite frondes
lætas exire. Vnde Adami labe omne genus
hominum inquinatum fuit, aut verius labe
vnius fæminæ Euæ: & quamuis Amazones
è Scythia Caſpioque litore profectæ Aſiam
armis ſubegerint, & in victoriæ monumen-
tum Dianæ ædem luculentam Epheſi dedi-
carint, vt Pomp. Mela prodidit, tamen breuī
euanuêre, fortuna felicitatem ſexui inuidē-
te, vt Pētesilea ab Achille occiſa bello Tro-
iano: & Camilla Volſcorum regina ab A-
runte lib.11.Æneid. quę ſola ratio male omi-
nari iubet, *can.quadam.35.q.3.* cum exitus
miſer conatus muliebres ſequatur. Quin
etiam ſi de ſcalis gradum vnum ſubduxeris,
ægrè poteris altius aſcendere: ſic poſtquam
fęmina lineę generis interfuit, prępedit iter
poſteris etiā maſculis, vnde licet ex voto aui
hæreditas ad liberos omnes gradatim per-
uentura ſit, ſi tamē filius delatam recuſaue-
rit, toti poſteritati viam præcludit, *l.1.C.de
iis qui ante apert.tabul.* Accedit quod feudū
olim temporarium & ab omni ſucceſſione
alienum, atque precarii inſtar ad nutum do-
mini reuocabile, iam pridem perpetua cō-
ceſſione

cessione fulcit, §. *& quia. de iis qui feud. dar. poss. § fin. in quib. caus. feud. amitt.* Sanè, vt in Iphigenia dixit Euripides, perennitas quædam sanguinis per masculam prolem quęritur. Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες: id est, *nam columnæ domorum sunt liberi mares.* nemo idem de filiabus dixerit, nec de prognatis ex iisdem, nisi quoad tenuem auorum maternorum retinendam memoriam sine nomine generis, *l. liberorum. §. fi. de verb. signif. l. 1. ff. de iure immunit.* qui locus Vlpiani, à genere, à familia, à posteritate vera subtrahit fæminam, *l. 3. eod. l. vacatio. ff. de munerib.* licèt alibi filiorum nomine vel vnica filia cõprehendatur, *l. Lucius, in 2. §. fin. de legat. 2.* atqui propriè mulier caput & finis est suæ familię: & qui ex filia mea nascuntur liberi, nomen familiæ meæ non sequuntur, sed patris eorum generi mei, *l. pronunciatio. §. fi. cum l. seq. ff. de verbor. signif.*

† Adhuc pro præcedente ratione infecti stipitis fæminei, adest id quod Obertus tradit, quoties quis feudũ recipit pro se & descendentib. masculis ac fæminis, relicto masculo vlterius fęminæ locũ denegari: quoniã ex expressa conuentione fieri potest vt filiæ succedant, quamuis inermes. §. *filia. de success. feud.* sicut etiam vt clerici cælum armis sanctimonię quietæ inuasuri. vtrobiq; enim eadem ratio est; *cap. 1. de feud. famin.* nec dubium est ex pacto moreve clericis feuda per- 4

mitti, vt affatim ſuperius tractauimus, §. *fin. de capitul. Conrad.* & per alium pugnatorem aptiſſimum armis ſeruari, §. *firmiter. de prohib feud. alien. per Federic.* Cæterum quamuis filius vaſſalli, qui ſemel admiſſus eſt, ſororem ſuã & poſteros eius perpetuò excludat, cum datum eſt feudum maſculis & fæminis ab eo naſcituris, tamen ſi à principio ſic detur duobus fratribus & eorum ſoboli maſculæ & fæmineæ, ſi ſuperſtes ſit filia alterutri patruum ſuũ ſuperabit, ne ſuccedat, quãdiu extat fratris alterius proles: cui quilibet, inquit Obertus, cenſetur proſpexiſſe, *cap. vnic. de duobus fratrib. à capit. inueſt.* modo viuo patre mas filius non decedat. *l. ex facto. §. pen. ad Trebell. ff.* nam ibi nomen hæredis ad liberos ſtringo, nec vt vulgus latius capio, *d. l. ex facto. §. fin. §. pen. de alien. feud.* vbi
5 tamen † non *hæredis* tantum, ſed *legitimi hæredis* mentio fit, ac nihilominus reſtringitur abunde à ſignificatu cuiusuis cognati, *l. 3. §. de illo. pro ſoci.* poſtquam in feudis ſolum filiũ reſpicit. §. *& quia. de iis qui feud. dar. poſſ.* & eò adducor maximè, cum feudum non ad quoſcũq; hæredes tranſeat, ſi non ſint ex agnatione vſque ad ſeptimum gradum, imò & deinceps in infinitum iure nouo. §. *pen. de iis qui feud. dar. poſſ.* vbi exterus hæres à domino repellitur agnatis deficientibus.
6 † Illud ſciendum eſt, feudum tantopere coaleſcere maſculis liberis, vt ſi ex pacto ad fæmi-

fęminas transiuerit, tamen denuò ad masculos recurrat. vt dum filia vassalli patris feudum marito in dotem dedit, mox duobus filiis genitis ex eo, quorum alter filias, alter verò filium vnũ vel plures reliquit, ad quos solos feudum perueniet, *capit. vnic. de eo qui sibi vel hæredib. suis mascul.* eò magis, quod in constitutione feudi prius masculis quam fęminis destinatio fuit; tametsi feudum omnino fæmineum redire ad masculos conetur. *cap. 1. de feud. fæmin.* cùm masculus militiam exercere per seipsum possit: fæmina verò nõ nisi per subrogatum, & carbones extincti facesq; ignem facillimè recipiunt. Sic feudũ quod à masculo ad fæminas peruenit, vltrò ad eundem nobiliorem sexum reuertitur. vnde ausim asserere, filiam à filio non exclusum iri, si fæmina feudum instituisset, vt in *§. fæminam. per quos fiat inuest.* & fæminæ cõcessisset, masculos descendentes non fore potiores: cũ similis simili gaudeat, *l. in arenam, de inoffic. test. C* & facilè illi conglutinatur. *l. in rem. §. item quæcunque. ff. de rei vendicat.* † quantum præterea momenti habeat 7 in feudo voluntas fundatoris, ex sequẽtibus apparebit. nam cum in eo sicut in quauis alia successione, prima causa liberorum sit in infinitum præ ascendentibus & agnatis à latere. *§. 1. de hæredib. ab intestat. venient. col. 9. cap. 1. de duob. fratrib. à capitan. inuest.* ad descendentes tamen non retroagitur feudum,

aliter atque hæreditas: quia siue antiquum seu paternum est, ad descendentes vadit recto tramite, instar pilæ in præcipitium, nisi suapte natura certis æui metis finiatur, *cap. 1. de feud. Guard.* si vero nouum est, à filio inuestito redit ad dominum, *ca. 1. de natur. success. feud.* eò quod dominus filium iuuenem elegisse videtur, tanquam armis aptiorem, quamuis tenellus fuerit atque adeò impubes. *l. fin. C. de testam. mil.* hunc enim spes sequitur, vt mors patrem. nec quicquam facit pietas naturalis in filii successionem parentem æquè admittens. §. *1. in fin. de hæredib. & Falc. l. scripto.* § *fin. ff. vnde liber.* quia in feudo in quo dominus ius sibi præcipuũ proprietatis adseruat, non respicimus officium vassalli erga patrem, sed quo domini voto acceperit, ne inuitus alium vassallus habeat. *cap. 1. de fratrib. de nouo benef. inuest.* Et quoniam ius successionis mutatur ex consensu domini cõstituentis feudum, *d. cap. 1. de natur. success.* puto, siquidem patris contemplatione filio velut iuniori feudum datum sit, ad patrem mortuo filio reuerti, *l. tali.* § *fin. de iure dot. ff.* maximè si etiam pater bella tractauerit; nã si feudum paternũ intelligitur, quod pater vassallus refutat, vt dominus filiũ suũ inuestiat, non verò nouum, *cap. 1. de vassall. decrepitæ ætat.* iam constat inspiciendum in feudis cuius personæ repectu tribuatur.

8 † Insuper laudo illorum opinionem, qui putant

putāt feudum à patre refutatum fauore filii, itidem defuncto filio ad patrem redire, qui aduersus spem ordinemq; naturæ superuixit: ne & filio & feudo careat orbus senex. *L. iure. ff. de iure dot.* item quod, vt paulò ante persuasi, libenter quiduis ad pristinum statum reuertitur. *l. fundi. §. fin. de acti. empt. l. filio, de liber. & posth.* potissimum quoniam dominus & pater ea mente filio cesserūt, vt eidem penè personæ, *l. fin. C. de impuber.* maximè in obsequiis huiusmodi. *l. cum, scimus, de agricol. & censit. lib. 11. C.*

† Post descendentes iure communi succedūt fratres, & deinde gradatim agnati cæteri; sed hoc in feudo paterno. planè in nouo aliud iuris obtinet: quia reuertitur ad dominum, nisi per pactum aliter præfiniatur, vt ibi dicitur in *§. si duo. cap. 1. de fratrib. de nouo benefic. inuestit.* vbi addit Obertus nihilo magis feudum communicari inter fratres, quod in eadem domo habitare perrexerint; sed fructus eius fore communes tantum, sicut & impendia, quādo alter solum feudum acquisierat, licèt armis equisq; communib. Idē in hæreditate indiuisa retenta inter fratres habetur, in *l. si fratres. ff. pro soci.* nec mirum est feudum non communicari, nisi pacto dominus consenserit, quamuis vniuersorum bonorum coita sit societas: quippe cùm communicatio sit quædam alienatio. *l. 1. & 2. eod. tit.* at in alienatione generali feu- 9

dum non continetur, nisi nominatim exprimatur. §. *licet. in fin. si de feud. defunct. content. sit inter domin.*

10 † Excipitur tamen, si feudum emptum fuerit de bonis communibus vel vtriusque nomine domino sciente, vel pulso hoste armis parib. & pari periculo: vt Castor & Pollux gemini, cum Idam & Lynceum Messenios superarunt, & spõsas eorum rapuerunt, cum ditione, vti scribit Hyginius: nã & emi feudum in definitione persuasimus, sed modico pretio, adeo vt beneficium etiamnum appelletur. Scientiam autem domini, quæ consensum expressum habet, requiro, nec sola patientia sufficeret, vt in tributoria, *l. 1. §. scientiam. ff. de tributor.* nam nec emisse ex bonis communibus sufficeret vel vtriusque nomine in *d. cap. 1.* nisi simul inhabitarent, vt Obertus subdit: quia inuestitura post contractum secuta vel homagium vtriusq; nomine præstitum, fidelem dubii interpretationem præbebit: alioquin dominus nõ cogetur vassallos plures recipere, præter animi sui sententiam. *d. cap. 1. de fratrib. de nouo benef. inuest.* nec curabit à quo pecunia profecta sit. *l. ex pecunia. C. de iure dot.* non oberit quod dicitur ius accrescendi inueniri in donatione facta à principe duobus sociis, ita vt altero sine hærede mortuo, alterum sequatur tota liberalitas. *l. 1. si liberal. imperial. socius sine her. decess. lib. 10. C.* quia ibi princeps ita alie-

alienauerat munificè, vt nihil sibi iuris in rẽ translatã seruaret, sed dominus in feudo ius proprietatis sibi excipit. *d. §. fin. in quib. caus. feud. amitt. l. in ædibus. §. donari. ff. de donat.* Est & ibi singulare, vt in conuentione stricti iuris portio accrescat etiã in titulo lucratiuo, contra quod traditur in *l. si mihi & Titio. ff. de verbor. obligat.* & hoc propter donãtis excellẽtiam. sic in rebus donatis à principe pater donatarii non capit vsumfructũ non magis quam in castrensibus. *l. cum multa. C. de bonis quæ liber.*

† Vnde ausim dicere patrem in feudo nouo filii non percipere vsumfructum, siue illud armis quæsiuerit, vt *d. capit. 1. de benefic. fratr.* quia castrense est. *l. 1. C. de castrens. pecul.* siue ex contractu cum domino inito & inuestitura: cùm ea lege videatur datum, vt ex fructibus arma equique comparentur & famuli comites militiæ: perinde atque si exprimeretur ne pater vassalli vtatur fruatur, *Auth. excipitur. C. de bon. quæ liber.* alioquin in inuidiam patris retardaretur erga filium liberalitas. accedit, quod feudum & feudi inuestitura ob bella obeunda inducuntur, vt hasta declarat, *cap. 1. quid sit inuestit. cap. 1. hic finit. lex*; vbi patet feudum propter militiam acquiri, ergo castrense sapit. *l. castrense. ff. de castr. pecul.* quare feudo antiquo idem iuris tribuo propter primordium inuestituræ arma redolentis. 11

12 † Nimium obliquè iter facere videremur in hoc tractu susceptæ fraternę successionis, si filios fratrum omitteremus, quos scimus cũ patruis in stirpes succedere, id est, omnes quotquot sint patris sui portionem duntaxat capere, non patruis exæquatam. §. *fin. de hereditatib. quæ ab intest. defer.* sed cũ ipsi cõsobrini seu patrueles succedunt patruo, & in eodem gradu consistunt: Azoni visum est eos debere potius in capita quam in stirpes succedere, cum prius idem Iustiniano visum fuisset, vt scilicet fratris filii tantum iuris habeant, quãtum pater eorum, si viueret, quãdo cum patruis succedunt auo non aliter. §. *huiusmodi, de heredib. ab intest. col. 9. in Auth. & in §. si autem.* cum ergo si patrueles cõcurrãt patruelibus, in capita venient ad successionem aui communis: atqui in priore specie patruus pręferebatur fratris sui filiis, tanquam proximior vno gradu. §. *si plures. de legit. agnator. success.* non hodie, cùm nepotes ex filio quoad successionẽ aui patrem suum referant omnino, & ita in stirpes succedant cum patruo, atq; sic correctum est in eo solo ius antiquum, nempe quando filii fratris obuii sunt patruis. Vnde magis hæreo susceptæ opinioni Azonis, vt si in eodem gradu inueniantur, nihil sit immutatum, & in capita veniant, sicut duo fratris vnius filii similiter succedunt cum vno fratris alteri⁹ filio, nempe vt hæreditas in triẽtes diuidatur,

&

& quisque suum capiat, cum sint in pari gradu, nec liceat illis iure patrio venire, sed in capita *l.2.§.hareditas.de suis hared.ff.* Si enim in stirpes vocarentur, diuisio in duos semisses extitisset perspicuè. quod si hoc locũ habet in fratrũ defuncti filiis, qui patruo succedunt in eodem gradu, diuersum nõ debet statui, quando auo succedere conãtur, postquam in *d.§.si autem*, priuilegium appellatur ius datum nepotibus, vt cum patruis succedant in stirpes, qui antea prorsus reiiciebantur, velut ab auo remotiores patruo aui filio. Alterum quoque priuilegium subiungitur eorundem nepotum, qui sunt in tertio gradu, vt præferantur patruis aui, de cuius hæreditate controuertitur in pari tertio gradu constitutis, *d.§.si autem, vers.illud:* non quod patrem suum referant, sed quia descẽdentium linea fauorabilior est, perẽnem aui memoriã redditura. *l.liberorum.§ fi. de verb. signific.* Cæterùm qui Azoni obstrepebant, nimium tribuebant repræsentationi patris per filios faciendæ: nec videbant hanc desectam inueniri in *d.§.sin autem.* vbi frater defuncti æqualiter cum ascendentibus iure nouo successuris admittitur, non fratris filii tanquam re vera gradu longiore dissiti, & ad ius commune redacti, ne priuilegio gaudeãt nisi contra solos patruos occurrentes. Est enim quidem finis facultatum liberis datarum, ne vltra prosiliant. *§.final.de succession.*

cognator. & quò amplius procedāt, extenuētur, sicut in arboribus, trunci in frondes, hæ rursus in ramusculos ita gracilescunt, vt vim nullam habeant. Quod eò commemoro, quia Alexander II. *can. ad sedem. 35. q. 5.* Pontifice Rom. digna scribens, quorundam nō improbat sententiam, qui duos fratres velut truncos ponant, vnde ramusculi cęteri oriātur, nō longè abietimus: nā nec nepotes eo iure censentur, quo patres eorum, quamuis ad paternam redigantur cōditionem, & sub omni conditione impunè instituuntur hæredes. *l. sed & si. §. 1. ff. de hæredib. instit.* deniq; fructus hæreditatis imputant in quartam Trebellianicam. *l. iubemus. §. fi. C. ad Trebell.* & circa nuptias si quæque persona patris sui vel matris suæ vice fungeretur, nemo licitè posset vxorē in infinitū ducere ex cognatione, cū id fas sit post quartum gradum, *c. pen. de consanguin. & affinitat.* Quamobrem fratrum filii vtrinque in capita succedent, nec oberit §. *si vero neq; de hæredib. ad intest. col. 9.* vbi agnati vltra fratrum filios in capita succedunt: ergo videtur ipsosmet in stirpes vocari: quoniam ibi Iustinianus perpetua serie loquitur de fratrū filiis cum patruo successuris, de quibus sermo institutus fuerat, non cum patruelibus: quia tunc ibidem seruari voluit numerum personarum, sic intelligitur *Auth. post fratres. 2. C. de legit. hæredib.* vt interpretes præcipui, & quasi hui[9] factionis

duces

duces asserunt, cuius ego vix valuasinus dici mereor. Sed placet cum illis pugnare veri studio, in feudis maximè, in quib. si mos vel lex Longobarda desit, ad ius Rom. recurritur, *cap.1. de feudi cognit.* nec de filiis fratrum æqualiter distantium quicquam expressius sancitur in *cap.1. vers. his verò. de success. fratr.* nisi quod aiunt, Baldum nescio quid vidisse in somnis de hac re in titulis feudorũ extraordinariis. Sed ego nolo falsi crimen committere, admonente, inquam, Modestino, ne constitutionibus nullo autore fultis vtar, *l. si. ff. ad leg. Cornel. de fals.*

† Filii, quos lex & consuetudo ad succes- 15
sionem primo loco inuitat, circa feuda plerunque sunt deterioris conditionis, quam agnati, vt cũ pater deliquit lacessens ipso facinore alium quam dominum: quia tũc feudum declinat in agnatos si sit antiquum; nã nouum veniret ad dominum: cum nondum bene egerit radices in personam primi vassalli. quod si felonia esset ex delicto contra dominum admisso manans, & filius vassalli facinorosi & agnati excluderentur, vt dominus vltionem offensionis haberet. §. *deniq. quæ fuit prim. caus. benefic. amitt.* at quocunq; modo vassallus feudo priuetur ex crimine vel in dominum, vel in exterum, filio suo & cæteris descendentibus viam præcludit. *c.1. si vassall feud. priuet.* vt accidit in crimine læsæ maiestatis. *l. quisquis.* §. 1. *C. ad legem Iul. maiest.* Sed hæc similitudo nullius

momenti est: nam etsi per feloniam tenuis quædam maiestas domini imminuatur, tamen non eadem ratio stat in delicto aduersus extraneum patrato; quo tamen casu filius æquè arcetur à feudo. Ratio potior igitur erit, vt vassallus cohibeatur à quouis flagitio, in quod facile prorumperet, si sciret feudum nihilominus ad filios suos deuolutũ iri, quibus omnia bona ex voto acquirit. *l. nihil. ff. de bon. libert.* sicut eisdem lege naturæ debẽtur non agnatis. *l. cum ratio. ff. de bon. damnator.* meritò consuetudo, quæ in feudis præpollet, antiquauit in Gallia constitutionem Iustiniani in *Auth. bona. C. de bon. damnat.* filiis & parentibus agnatisq; gradatim bona condemnatorum ob facinus, non fisco, adiudicantis: præsertim cùm sæpè vassallus vltro se feudo abdicet, vt filius inuestiatur, *ca. 1. de vassall. decrepit.* proinde castigatur filius ob patrem, sed in bonorum successione, nõ in pœna corpori infligẽda. *l. crimen. ff. de pœn.* sicè diuerso pater pro filio feudum amittit; sed ita demum, si filii procacitatem coërcere cunctetur à domino requisitus. *§. insuper. de prohib. alien. per Federic.* nam & tunc pater plus peccat in dominum, vtpote cuius indulgentia iuuenis audaciam accendit; sed si deduxerit in vindictã, mitiori domino vtetur, ne videatur ad supplicium obtulisse filium, *l. milites. 2 § fi. ff. de re milit.*

14 † Rursus in alio filii causa in peiore loco sita

sita est, quam agnati; quoniam filius patris vassalli hæreditatem repudiare nequit retẽto feudo, imò agnatus, *cap.1.an agnatus vel filius possit retin.feud.* si paternum feudum sit: nam in nouo nihil sperat agnatus, vt ibi dicitur, licèt sit frater, *cap.1.de benef.fratr.* ratio est, quia ad filium venit feudum tanquam ad hæredem, vt patet ex feudi definitione. § *fin. in quib.caus.feud.amitt.* cum supra patefactũ sit, hæredem ad filium traduci in feudis, etiamsi legitimi mentio fuerit, *cap.1.de alienat. feud.* & quemadmodum pater filio suo præ cæteris studet, ita manes eius indignantur admodum ab eo hæreditatem fastidiri, cum iniuria hærede carentis, § *licet.quib. ex caus. manumitt. non lic.* Iniuria vero inuisior est eorum, quibus impensius fauit, cauitq; dum viueret, *l.3.§.vtrum.ff.ad Syllani.* Præterea non est immanis feudorum consuetudo adigendi filium vnà cum feudo hæreditati se immiscere, cũ ius ciuile subducto feudi cõmodo solam hæreditatem inuito ei olim afficeret vt necessario hæredi, nisi prætor abstinendi postea facultatem ei dedisset, §. *sui. de hæred.qualit.* Sic propemodum consulitur filio, vt ex consensu agnatorum & domini non grauaté nec damnosè subscripturi separet ab hæreditate feudum. *d.cap.1.an agnat. vel fili.* Quod si agnati inexorabiles sint, vt adigant filium ad aditionem periculosam, vel ad feudi amissionem, adeat securè vtiq;

facto prius inuentario, §. *hinc nobis. de hæredib. & Falcid. col. 1. in Auth.* vel poterit filius benignè pacisci cum creditoribus, vt cum agnouerit paternam successionem, ea contenti inposterum sint, facilè enim persuadebit cum agnatis succedẽtibus nihil plus hæreditate sint consecuturi, nisi fructus feudi residuos, *d. cap. 1. an agnat.*

15 † Tertiò inuenitur filius qui & agnatus potissimus est, *l. filius. ff. de suis hæredib.* cæteris mage neglectis, in §. *Titius. si de feud. defunct. content.* vbi si vassallus pater carens filiis, partem feudi extero, partem agnato suo iã possidenti cõcessit, si agnatus nõ consensit, dũ alterã partẽ exterus acciperet, eam recuperare potest etiam nõ refuso pretio per vassallũ accepto: secus de filio concedẽtis alienãtisq; dicetur: nã hic pretium reddet vel patre mortuo vel viuo; ratio afferri potest; quia pater semper consilium capere præsumitur pro filiis: & eis benè cupere: vnde lex ei permittit aliquid duriusculum in liberos statuere, suspicata vix à patre statutum factũve iri, *l. nec in ea. §. si ff. ad l. Iul. de adulter.* mox videt lex patrẽ feudum alienãtem pretium saltẽ adseruare filio, non aũt agnatis reliquis. vnde fit, vt filius, cui verisimiliter pretium saluum erit, idem reddere cogatur, nõ quilibet agnatus, si non alienãti consenserit. Sanè ex noua cõstitutione Lotharii filius nihil posset redimere, vtpote cum proportio-

ne

ne alienati feudi fit priuatio eius, *c. 1. de vassal. qui cõtra constit. Loth. reg. benefic. alien.* sed nec ꝓcederet alienatio ex consensu domini agnatis dissentiẽtib in feudo paterno, *c. 1. de alienat. pater. feud.* & sic patet alienationem feudi esse culpam in contemptum domini; *§. si. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* sed non talem, quę filium vassalli reiiciat, vt felonia, de qua in *d. c. 1. si vassal. feud. priuet.*

† Quæstionis est mihi indubitatæ, sed nõ prætereundæ, An emãcipati filii ad feudum admittantur: quod verius est, cum ex testamento patris iudicium nullis liberis derogare queat. *cap. 1. de success. feud.* at ab intestato sublata est differentia patriæ potestatis & emancipationis. *§. nullam, de hæred. ab intest. col. 9. in Auth.* deinde vbi ratio posteritatis militat, sicut in feudo, *d. § fi. in quib. caus. feu. amitt.* eadẽ differẽtia despicatissima inuenitur, *l. 1. de iis qui ante apert. tabul. C.* tertio soli inspiciũtur filii masculi hęredes, sc. legitimi, *c. 1. de alie. feud.* i. ex legitimo matrimonio geniti, ne quis captet verba, & neget legitimũ seu ciuile vinculum superesse emãcipato extranei loco habito, *§. accedit, in fin. C. de rei vxor. act.* qa ꝑtor nõ est passus naturæ veritatẽ obscurari, qui est viua vox iuris ciuilis & pręco eiusdẽ, *§. emãcipati, de hæred. quæ ab intest. l. nã &, de iustit. et iur. ff.* maximè in honorificis titul. cuiusmodi feuda cẽsent, *l. emãcipatũ, ff. de senat.* & in iure naturę legib plausibili

ante prętorem. *l. si quis, de liber. agnosc. ff.* non omitto feuda militiæ destinata non admodum spectare patriam potestatem, cùm miles etsi non soluatur sacris paternis, *l. errat. de re milit: lib. 12. C.* tamen patrisfamilias iure censetur in castrensibus: *l. 2 ff. ad Macedon.* nec pœnitet asseruisse feudi filio concessi vsumfructum ad patrem non pertinere, licèt eum in potestate habeat. Quod si quis obiiciat, feudum non peruenire ad cognatos; sed ad solos agnatos, *cap. 1. de success. fratr.* Emancipato autem iura agnationis non retineri, *l. non facile. § pe. ff de gradib* nō valdè commouebor; tum, quia vulgaribus agnatis potior est, *§. admonend. de hæredit. quæ ab intest.* tum quia de iis qui nascũtur cognati Obertus ibi loquitur, non de iis qui fieri videntur, vt emancipatus mas & è mare progenitus, *l. legitimus. ff. vnde cognat.* non .n. dissimulat prætor eum reuera agnatum esse, *l. 1. §. final. si tabul. testamen. null. extabun.* vnde cum filius emancipatus hæreditatis paternæ capax sit, erit & feudi: quia ab hæreditate per filium ægerrimè diuellitur, *cap. 1. an agnatus vel filii defunct. l. fratres. C. de inoffic. testament.* licèt in adoptiuis aliter sit volucri figmento iuris ciuilis accitis, *§ adoptiuus. si de feud. defunct. cōtent.* ita Papinianus in *l. fideicommissum ff. de conditionib. & demonstrat.* nec si vassallus ex filia nepotem adoptasset in fraudem agnatorum & legis, vt in *l. pe. §. omnia, C. de adopt. l. contra. ff. de legib.* † Itaq;

† Itaq; cum illic probetur indiuulsam esse causam feudi & hæreditatis, sequitur filium à patre exhæredatum à feudo procul repelli: eo magis, quod veteres animaduerterunt causas exhæredationis & priuationis feudi pariter incedere, §. *prædictis. quæ fuit prim. caus. benef.* vnde si quis aduersetur huic opinioni, eò quod ordinatio nulla testantis remouet à feudo filios, *d. cap. 1. de succ. feud.* regerã ego, non testamento priuari exhęredatũ, sed suo delicto efferato in patrẽ: quare qui bona mente exhæredatur, expers sceleris feudo potietur, *l. 12. §. si quis non. ff. de bonis libert.* iuuat superiora, quod domini & vassalli mutua necessitudo est ac persimilis, *cap. 1 qualit. domin. propriet. feud. priuet.* at vassallus dominum iuuare debet in bona causa, etiam contra proprium filium, §. *fin. hic finitur lex.* quantò magis execrari debet vassalli filium iustis rationibus odiosum & cuilibet successori postpositũ per patrem, etiã fisco. §. *exhæredatos, de hered. & Falc. in Auth. col. 1.* 17

† Non plus dubitationis est in naturalibus tantum & spuriis, ne succedant: cum feudum à principio comparetur vassallo, & hęredibus eius legitimis, id est, filiis, *cap. 1. de alien. feud.* idq; militiæ subeundæ gratia, vt toties diximus, & erit obuium sæpissimè: atqui leges quæ Martios homines in Venerẽ propensiores sensere, in militib. plus quàm in paganis eam detestantur, *l. 2. C. de donati.* 18

inter vir. l. miles ita. §. mulier. ff. de milit. test. Sed audiam⁹ Obertum: Naturales filii licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli nec cum aliis admittũtur. §. *naturales, si de feud. defunct. content.* ratio est, quia simul atq; nati sunt à lege spernuntur, nisi fierent legitimi per subseques matrimonium; quod retroagitur, & liberi seu soli, seu cum aliis nati creduntur legitimi, & verisimiliter causam dedêre veris nuptiis. *l. cum quis, de natural. liber. C.* legitimatio autem quæuis alia non potest præstare talẽ effectum in feudo semel defecto, sicut nec in clerico, qui postmodum religionẽ deseruit, *c. 1. de feud. famin.* Sed nec legitimatio ex matrimonio prosiliens, si ad morganaticam contrahatur certis pactionibus, de quibus in *cap. 1. de filiis nat. ex matrimon.* & de eo fusius dicetur: nec distinguo vtrum postea feudum acquisierit quàm fuerit legitimatus, an antea ex naturali iam euasisset in legitimum. Non quod dubitẽ, quin princeps valeat retrotrahere per rescripti sui funiculos vim legitimationis, ad tempus præcedens natiuitatem naturalis filii, *l. 2. ff. de natalib. restit.* sed quod hoc genus beneficii à principe concedi oporteat cum consensu eorum, quorum interest, vt apertè patet in *l. fi. ff. eod.* ergo dominus feudi cõsentire debebit vltrò, & agnati quorum interest, *cap. 1. an agnat. vel filius defunct. l. nec auus. C. de emancipati. l. nam ita. ff. de adopti.*

Præ-

Præterea cohibēda est via militib. ne vaga libidine oblectati respuāt nuptias, vel illi nimiū indulgeāt, quò agnatos arceāt susceptis liberis emētitis, nec.n. soboli, sed parenti lex excādescit & frænū iniicit. *l. fin. C. de natur. liber.* nisi, inquit Accurs. in *d. §. naturales*, nominatim in rescripto ad feudū obtinēdū legitimētur, vt accidit Mutinæ: sed ꝓfectò expressio illa non potest abolere iniquitatem rescripti domino agnatisq; nocituri. *d. l. fi. ff. de natalib. restit.* licèt pro milite, *l. impuberi. ff. de administ. tutor.* fortè nō vidit nec resciuit Accursius assensionem domini vel agnatorum, vel agnatos nullos obstitisse, nec reclamasse dominum, vel naturalem ingenio viribusque præstantem planè legitimis, facinus præclarum è republica gessisse, agnatosve obstitisse imbelles & nihili viros. Hæc omnia, meo iudicio, principem mouere possunt, vt naturalem feudo idoneum efficiat, cui competitor ignauus resistit. *l. generaliter. §. spurios. ff. de decurionibus.* magis namque elucescit virtus imbecillitate aduersariorum. inde est illud Sophoclis apud Stobæum: Ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις σθένει· ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν. id est, *Nothus tantundem valet, quantum legitimus: omne quod bonum est legitimam habet naturā.* siue, inquam, arma, siue iura quoque spectemus, vt in præcipuis Romani Imperii fundatoribus, Ænea scilicet & Romulo rege, §. 1. vt

prapon. nomen imper. col.5. in Auth. quorum ille falsò Veneris, hic Martis filius iactatur, poetarum rescripto. Ecquid vsquam sol vidit illustrius aut forti᷒ Carolo Martello, Caroli magni auo, quem Pipinus non ille rex Francorũ Zachariæ Põtificis assensu factus, de quo in *can. alius, 15.q.6.* sed præfectus palatio ex Alpiade concubina sustulerat Pipini posterioris regno inaugurati parentem inuictissimum.

Matri superius aut alius naturalis tantò minus succederet, siue legitimis extãtibus; quia nobilitatem sapit feudum, *§ pe quis dicatur dux, March. l. si qua. C. ad Orfician.* siue deessent legitimi; quia pudor magis decet fæminam quam virum, non sine rubore, naturali tantum prole fretum, vt notat Accursius in *l. palam § qua in ff. de rit. nupti.* sed hęc omnia ex voluntate dignitateq; personarũ definiri tutius est. *l. ex facto. § si quis rogatus. ff. ad Trebell. & l. haredib. §. fin. eod.* cum Romulus rex spurius fuerit, & Theseus Athenis, autore Plutarcho. Si vero quis dubitet de feudo nouo, an spurio concedi possit, adeat iurisconsultum id definiẽtem, ac spurio blandiẽtem tanquam culpæ nescio, in *l. spurii, ff. de decurion.* Iuri namque sat legitimum est, quod apparet arduum, etiamsi ex incestu nascatur, vt ibi dicitur, in gratiam forte Romuli, Quirinive, ex Rhea vestali progeniti.

CAP.

CAP. VI.

De filio nato ante patris nobilitatem, de lege Salica, Morgana, de matrimonio & pactis circa illud; de legitima portione, de primogenitis, de successione ex pacto, de ingratis liberis.

NOTABILIA.

1 *Filius ducis vel regis natus ante patris dignitatem. an post natis præferatur.*

2 *Salica lex qualis fuerit; à quo primum inducta in Gallia.*

3 *Morganaticæ legis caput & æquitas.*

4 *Quid est quod dicitur à iure naturæ cum feris communi, descendere matrimonium.*

5 *Morgani pactum, vt liberi nascituri quantitate certa pecuniæ contenti abeant, legitimæ non obest.*

6 *An è feudis liberorum legitima detrahatur.*

7 *An liberi prioris matrimonii sequentes superent.*

8 *De iure primogenituræ eximia pleraq;.*

9 *Nepotes defunctorum ex filio primogenito patronos suos excludunt.*

10 *Hæreditas recepta consuetudine liberis datur ex conuentione.*

11 *Hæredis institutio irreuocabilis in pactis matrimonii facta, non absq; ratione.*

12 *Si mulier in contractu matrimonii bona sua*

liberorũ respectu donet, quaten⁹ reuocet.
13 *Pactum inducens votum captandæ mortis quando probetur, saltem in feudis.*
14 *Ingratitudo reuocat donationem ob causam matrimonii.*

1 † VEhementer agitata est disceptatio de filiis natis, antequam pater opimum ducatus vel comitat⁹ feudum adipisceretur, an admittãtur cum reliquis, cùm patri ex testamẽto nihil liceat statuere, *cap.1.de success. feud.* ne pro sua quidem anima ecclesiæ largiri postremo illo iudicio, quando moriens cælum aduolare debet suis opibus facto gradu, non aliena iactura. §. *donare. qualit. olim poterat feud. alien.* vel ad hoc, ne in Ecclesiam nunquam desituram rem trãsferat cum domini incommodo. §. 1. *de alienat. feud.* atqui quoad intestati successionem, sentio idẽ de regis filiis editis antequã pater rerũ potiretur, de quibus nihil ausim dubitare, si ad regnũ vocẽtur successione legitima. quia promiscuè regios appellauero filios, etiã natos antea. eò quod lex naturæ cõsanguineos inuitet ad sceptrũ, vt ad reliquas hæreditates. *l. fin. C. quor. bonor.* vnde pater non tam videtur nouè ius regni acquisiuisse, quam seruasse, & detexisse antiquum & hamatum familiæ suæ serie vetusta sanguinis. vnde *legitimæ successiones* appellantur propriè eæ, quæ ita obueniunt. *l. 3. §. de illo. ff. pro soci.* quasi non fortunæ beneficio imputentur, sed legis naturam

turam æmulantis. Si verò fortuna patrem ad regnum prouexerit, vt Agathoclem Siciliæ dominantem ex patre figulo, & è gregaria militia in tribunum electo, quoad potētioribus trucidatis insulæ vniuersæ imperaret, sicut Iustinus tradidit, tunc putem habere locum Bartoli sententiam, liberosq; ante dignitatem natos, non succedere, nec regis videri filios in *l.2.§.in filiis.ff de decur.* quam alibi sæpe commendat in filiis Decurionum, inquit Vlpianus, quæstio est, vtrum is solus decurionis filius esse videatur, qui cōceptus & nat⁹ est ex decurione, an verò & is qui antè nat⁹ est, quam pater decurio fieret, & quidem quātum pertinet, ne fustib. castigetur, & ne in metallum detur, non nocet plebeio patre esse natum, si postea honor decurionis patri eorum accesserit. Quo testimonio cur sibi placeat Bart. nō video, non magis quam illo eiusdem Iurisconsulti in *l. moris. §. parentes, ff. de pœnis.* vbi perspicuè prodest filio superueniēs patris decurionatus. magis iuuaret eum *l. quicunq;, de principib. agent. in reb. libr. 12. C.* vbi cum olim filii geniti à parente militante in schola agentium in reb. patris dignitati essent obnoxii; non tamen ii qui nascerentur, patre iā ampliore potestate donato: quippè qui liberrimè iugum excuterent pristinæ paternæque functionis, licito iure quæsitæ, *l. si cohortalis. de cohortalibus libr. 12. C.* Idem statuit Iustinianus de

filiis decurionum in *l.fin.de decurionibus,lib.* *10.* Ex his omnibus simul iunctis constat dignitatem patri prodesse, susceptis ante liberis, sed non per omnia: vnde ad successioné nihil commodè trahi queat; nõ enim sequitur, filium priuandum solio paterno, quòd ante huius fortunam solem aspexerit, quòd filius decurionis antè editus, propter patris altiorem honorem curiæ obstringi non desinat; cum in hac necessitate curiali honor non cõtemnendus versetur. *l 5.de vacation. muner.* & cũ honor quiuis publicus habeat secum necessitatem honorato imminenté. *l munus. ff. de verbor. signif.* sed lenitur onus muneris fertilitate decora, vt in læto & pingui aruo. Ex quo aliud iuris obtinet in liberis eorum, qui sponte fiunt decuriones *l fin. de iis qui spont.publ.munera sube. libro* 10. *C.* vt centum & quinquaginta aduocatorum in summo prætorio filiis, *l.cum aduocatio. C.de aduoc.diuers.iudicum.* Erant enim priuilegia certa concessa singulis prætoriis. *l. iisdem. l. nemini, eodem.* nec illis obfuit prçuenisse honorem patris natiuitate patri ac numini potius, quàm sibi imputanda. Sanè filio consequẽter auferre regnũ propterea quód prius nascatur, quàm parens ditionem nactus fuerit, asperrimum est, sicuti senatorium splendorem, *l.5.ff.de senatoribus.* vbi *senatoris filius* dicitur is etiam, qui antè natus est quàm pater senator legeretur. Nec simile est id quod aiunt,

aiunt, qualitatem adiunctam verbo secundum verbi tempus explicari. *l. in delictis*, § 1. *ff. de noxalibus*. estque interesse inter militis testamentum & id quod à milite factum est. *l. Titius. ff. de milit. testam.* quia ea quæ subinde immutãtur, nihil commune habere possunt cum coniunctione patris & filii immutabili. *l. ius autem. ff. de pactis*. maxime cùm non tantum lege dictante, sed etiam penè natura eadem sint persona. *l. fin. C. de impuber. & aliis substitut.* & demum cùm regna & quicquid acquirit pater, filiis suis acquisisse naturali voto præsumatur: *l. nihil interest. ff. de bon. libert.* Quare in *d. l. Titius*, subdit Marcellus ex sola voluntate militis testamẽtum ante militiam factum roborari. Voluntatem verò patris accipio eam, quam habere licitè debet, vt filios susceptos secum nobilitet. Vt ibi: *Non facias aliis quod tibi non vis* id est, quod nolle debes. *l. 4. ff. de legat. 2.* eccur non paria faciet cum filiis, à quorum honore & dignitate ipse vicissim nobilitatur & mirifica lætitia perfunditur? *§. generaliter. constitutio quæ de dignit. col. 6. in Authent.* imò potius vice versa, filium pater demerere tenetur *l. scripto. §. fi. ff. vnde liber.* nec quicquã scelestius est, quàm filio lugubrem esse lætitiam patris. lugebit enim, si non fiat particeps. Itaque imperator sanctissimè statuit, nefas esse inuidere filiis patroni honores. *l. si senator. de dignit. libro 12. C.* vbi expressè

de natis ante senatoriam dignitatem verba fecit, eosq; *clarissimos* vocat, quos paulò ante *priuatos* vocauerat: quia tales antea exstiterant patre nondum senatore. nec video cur ibi tãtopere æstuet Accursius, cùm mutato effectu soleat adhuc pristinum nomen residere. *l. insula, in fi. de acquir. rer. dom. ff.* & miles appellatur expleta militia, atq; nondũ inchoata, *l. in fraudem, §. testamẽtum. ff. de milit. testam.* Adiiciatur ex abundãti, *l. si cognatis, de reb. dub.* præcipuè cùm fauores prorogari tam expediat quàm odiosa iura restringi in tractu eiusmodi, *l. imperialis, §. his illud. C. de nupt.* vbi tamen interpres nobis in proposito nõ assentitur, eò quòd scenicę matris filia, posteaquam mater ad meliorem frugem se receperit, eget principis rescripto, prorsus tamẽ impetrabili, ad eluendam maternę labis maculam, inspecta natali die. Sed hoc non afficit filium eius, qui rex factus est, vtpote quem priuata patris conditio nullò modo inquinauerat, & aptũ inuenerat fortuna ad participandũ decus patri accrescens: quia, vt ait Horatius, *fortuna nõ mutat genus.* nec Tarquinio Prisco regi quinto Rom. obfuit pater Demarathus, Corinthius mercator, sponte exul, vt domesticam tyrannidem effugeret, de quo in *l. 2. §. 1. ff. de orig. iur.* Sed nobis aduersatur alter Demarathus pariter exul, Lacedęmonio regno exutus & in Persidem profugus, is apud Herodotum libr. 7.

vt iniret gratiam Xerxis regi Dario parenti successuri, Lacedæmone sic vsurpatum memorauit, vt filii tantùm post nati quàm pater regnare cœperit, reges fiant: quia de ea re Xerxes contendebat cùm fratre Artabarzane, quem Darius priuat⁹ ex Gobrys filia susceperat: cæterùm potior Xerxes euasit: nec mirum; quoniā ex Atossa natus fuerat Cyri illius filia, quæ Persis libertatē pepererat, & penes quam potentia omnis erat. Nec ęquū fuit maternā ditionem ad fratrē, licèt maiorem natu, ex alia vxore patri editū trāscribi: alioquin si merè paterna esset acquisitio, filii à matre min⁹ clara sublati aliis nobiliore ꝓgeneratis minimè postponerent, nisi pacta in cōtractu matrimonii habita derogassent, *c.1 de fil. nat. ex matrim. ad Morgan. contract.*

† Vbi legi Salicę adscribitur tam dura pactio, mitigata tamē latentib. ęquitatis venis, vt docebim⁹, vbi de Salica lege nōnulla attulerimus, quā copiosius in histor. explanam⁹. Salicam legē, à Saliis Francis, appellatā accepi, quorum meminit Ammian. Marcellin⁹ lib. x x. rerum gestarum & lib. etiam x v i i. nēpe à Saliis Martis sacerdotib. à saltu nomina ducta habētes, armaq;, vt scribit Ouid. libro 3. Fastor. Circūfertur quoq; Vlpian fragmentū nō ignobile, aut alteri⁹ Iuriscōsulti vetustioris, in *titul. qui hæredes institui possint*, Ioue Tarpeū. & Martē Gallicū, hæredē scribi ꝑmittēs. Proinde Pharamon rex, q ducēte 2

Deo Francorum ductauit exercitum ad occupandas Gallias, à victoria, memor armis acquiri regna, legibus cõseruari ex Iurisperitorum consilio legem tulit Salicam, in varia capita diductam, postmodum auctam à posteris regibus, potissimum à Carolo Magno, qui, subacto Desiderio Longobardorum rege, vt iam docuimus, eam legem trãs Alpes propagauit temporis iniuria occultatam. nisi quòd in *libr. 3. de legibus Longobardorum, titul. de capitulis legis Salicæ*: idem Carolus rex Franciæ & Longobardiæ *can. in synodo 63 distinct.* in hunc modum loquitur: Admonemus, vt capitula, quę præterito anno legi Salicæ omnium consensu addenda censuimus, iam non vlterius *capitula*, sed tãtum *leges* dicantur, imò pro legibus Salicis teneantur.

3 † Et quia Morganus non vltimus inter scriniorum seu libellorum magistros Pharamoni regi Franciæ primo assederat, anno à Christo nato c c c c x x v. accidit vt lex Salica Morganaticum caput nomẽq; complecteretur in *d. cap. 1. de filiis nat. ex matrim. ad Morgan.* Vbi quidam habens filium ex nobili coniuge, hac defuncta cùm altera minus nobili consuetudinem habuit: moxq; hortante conscientia eandem sibi despondit, lege dicta, vt nec ipsa, nec filii eius plus habituri sint ex suis bonis, quàm certam pecunię quantitatem expressam illico in contractu matri-

matrimonii. quòd pactum adeo proficit ex lege Salica, vt filii ex tali copula progeniti, licèt legitimi, in feudo nô succedant vllo modo, in reliquis bonis succedãt; si tamen filius legitimus ex priore vxore non supererit, nô sine acerbitate aliqua nec sine ratione Morgano doctissimo digna: quia sic eueniet, vt pater fiat procliuior ad ducendum legitimis nuptiis concubinam, vt fiant liberi legitimi, si intelligat prius editis ex vxore nobiliore minimum detractũ iri, quos iustissimè peramat, velut splendida castaque matre natos; nec non primogenitos: alioquin eueniet, vt in vetito côcubitu perseueret, si quis nimiũ strinxerit, vt in *l. imperialis, C. de nupt.* præsertim cum lex côcubinatum permiserit, si modo mulier obscuræ fortunæ fuerit. *leg. 3 ff. de concubinis.* Eò pertinet quòd Obertus refert de vxore posterius ducta, sed minus nobili quàm prior coniux extitisset, quę obiit: cum viua illa nefas esset pellicem ei inducere, *leg. fin. §. fin. ff. de diuort.* sanè nec fas est iure diuino vlla cum muliere congredi præterquam cô iuge, *can. nemo. 32. quæst. 4.* Sed non quiduis illicitum lex ciuilis vlciscitur, *l. 3. §. diuus tamen. ff. de sepulcr. violat.* sed quòd inciuiliter factum exstitit, reuocatu quoq; inciuile putat: *l. fin. § fin. ff. de eo quòd met. caus. §. de illa. in quibus caus. feud. amittat.* Solennis itaq; ritus nuptiarum sacra quadam vi abolet labem: non enim coniunctione tantum cor-

porum verſatur, ſed in diuinitate, *l. 1. de rit. nuptiar. can. omne. 27. q. 2.*

4 † Nam quod ait iuriſconſultus, *maris & feminæ coniunctionem, quam matrimonium dicimus*, à iure naturæ cum feris communi deſcendere, *l. 1. § pen. de iuſtit. & iur.* non eò ſpectat, vt perfectio matrimonii iuri naturę tribuat, ſed deſceſ⁹ quidã & ꝓuocatio. Sicut maxima flumina ab exilib. fonticulis manãt aucta, ſubinde aquis confluentib. ſic ꝓfecto cęlitus increſcit vulgaris corporum coniunctio, quæ ſola homines gignit reipubl. §. 1. *de nupt. col. 4.* & feudis capiundis idoneos, *d. §. naturales. ſi de feud. defunct. conten.*

5 † Quod verò aſſeritur morganico iure inoleſcente olim factũ, ne liberi, quos matrimoniũ ſubſequens fecit legitimos, niſi decẽ libras, vel aliã ſummã de bonis paternis duntaxat haberẽt, nõ eò ptinet vt ſupplemẽtũ legitimæ nõ accipiãt, ex *l. omnimodo. C. de inoff. tic. teſt.* q̃a feſtiuos ſibi liberos locupletare pater liberè poteſt prę aliis, ex alia vxore ſublatis, citra tamen offenſionẽ legitimæ portionis. *§. illud. de nup. col. 4. in Auth.* & quãuis lex vel conſuetudo ꝑmittat coniugib. paciſci de ſucceſſione liberorũ, nõ tamẽ ꝑmittit derogare creditorib. paciſcentiũ, *l. debitorũ. C. de pact.* eſt aũt filius creditor parẽtũ in legitima *§. 1. de trient. & ſemiſſ.* idq; ratione naturali & ciuili, *l. cùm ratio, de bon. dãnat.* ſaltẽ cõfeſtim atq; pater mortu⁹ eſt, *l. cũ quæritur. C. de inof. teſt.* ideoq; poſtponit̃ aliis creditorib. parẽtis

tãquam priorib. vt qui cũ eo viuo negotiati sunt, *l. Papin.* §. *quarta. ff. eodẽ.* vt ampli⁹ docui *Dial.36.* Ergo in *d.c.1. de filiis nat.* liberi secũdarum nuptiarum legitimo subsidio potiẽtur ex bonis paternis, vel ad hoc, ne patri nobili dedecori sint, neve legitimatio vmbratenus illis prosit, cùm interim debitũ legitimum auferat, sicut nec dãdæ libertati adiici pactio potest, quæ reuera eandẽ cõminuat. *l. 1.* §. *quæ onerãdæ. ff. quar. rerum act. non datur.*

† Et licèt feudũ ad huiusmodi liberos Salica lege nõ pueniat, tamẽ non dubito quin ab eodẽ legitimã portionem deducant, vt se alant exẽplo aliorum, qui feudis inepti sunt. § *si episco. vel abbat. feud. dar.* maximè, quia si matrimonio cõtrahendo pactio addatur, ne liberi nascituri patri ab intestato succedant, non efficiat, ne in feudo possint succedere, à cæteris bonis alienis. § *filii. si de feud. defunct. conten.* Ergo facilius pacto parentũ liberi excludũtur à reliquo patrimonio, quã à feudo, cuius forẽt capaces. Ratio subdi potest: quia cum pactio esset ne ab intestato succederent filii, iã è diuerso ex testam. vocari potuissent. *l. ex eo, de testib. l. 3.* §. *pen. ff. pro socio, l. nec adiecit. eod.* atqui in feudis testamenti dispositio nihili est, *capit. 1. de successiion. feud.* Vnde ad feudum conuentio non extendetur, cùm in *d.* § *filii.* ratione careat; ergo nõ potest satis arctari interpretatione aduersus cõsuetudinem *l. quod verò, ff. de legib.* cùm lex resistat

l. si fratres. §. idem 2. ff. pro soci. Ceterum refragatur *d. cap. 1. de filiis natis*; vbi filii, quos ex secunda coniuge natos matrimoniū sequēs legitimos fecit, impunè succedūt in aliis bonis, quàm in feudo, non extantibus priorib. liberis: à feudo aūt omnino arcēt̄ miseri. Est aūt ratio diuersitatis; quoniā in *d. §. filii, si de feud. defunct.* ex vnica vxore superant liberi, quib. nihil ignobile poterat exꝓbrari. Secus in sanctione Salica, vbi ex humili concubina post defunctam vxorē illustrem editi fuerāt filii, planè feudo nihil est iucundius quàm
7 nobilitas, *§. pen. quis dicatur dux, march.*

† Adhuc vrget vehementius, quod in *d. tit. si de feud. defunct. cont. sit*, Obertus notauit *§. mulier*, de ea muliere quæ habens feudum decessit superstitib. ex duplici matrimonio liberis. Obtinuit, inquit filios prioris matrimonii tàm in feudo, quàm in cæteris potiores esse. Quòd repugnat iuri ciuili, *d. §. illud, de nupt. in Auth.* & superuacaneum ostendit pactum legis Salicæ, si absq; illo thori prioris filii posteriorib. anteponuntur: denique repugnat quod *d. §. filii*, feudi causa secernitur à bonis residuis. Non omitto etiam inhumanum esse, priore matrimonio generatos sine delectu aliis præferre, qui fortè ingeniosiores existunt, & propter indolē, cùm plus cæli obtineant, plus etiam soli promerentur: cumq; sene iam parente in lucem venerint, maiori ope indigent. & iam supra ex Herodoto ostēdimus in regno Persico Xer-

xem præpositum Artabazani fratri ex priore Darii patris communis vxore edito. Vnde turba interpretum certatim vociferãtur aduersus Oberti sententiam in *d.§.mulier.*& sine fine ipsi autorem obiurgant, vt sine causa: quia nimirum non intelligit ille prioris coniugii filios esse potiores, quoad quantitatem bonorum, sed circa minutas quasdam accessiones. In pari causa, inquit Paulus, possessor potior habetur. *l. in pari. ff. de regul. iur.* quia ex eo transfert onus probandi in aduersarium, *§ pen. si de inuestitur. inter dom.* non autem est potior in iure proprietatis, si reuera aduersari⁹ fuerit dominus; quia iustitia vult suum cuiq; restitui. *l. officium ff. de rei vendic.* tamen antiquiores & primogeniti liberi excellunt, vt communia instrumenta eis potius credantur, vt feudi renouatio seu inuestitura, quam patre mortuo filii à domino petere tenentur, *cap. 1 quo temp. mil. inuestit. petere deb* sæpius ab antiquissimis quibusq; postuletur: *l si. ff. de fide instrumen.* cùm enim fratrum concordia in lubrico sit, eorum maximè qui non vtrisq; parentibus agnascuntur, expediuit limites inter eos præstitui & ordinem conseruaui certa lege. *l. cùm oportet. C de bonis quæ liber.* nec enim sunt omnes instar Calliæ, qui Athenis magister militum creatus, Theophilo fratri antiquior, vt Stobæus scripsit tantum honorem deferri maluit, quẽ sequẽte anno cũ laude adeptus est.

8 † Sanè ius primogenituræ quondā plurimi factū fuisse constat: ꝓpterea Iacob illud astutè comparasse à fratre Esau, *Gen.c.25.* ac mox patris benedictioné meruisse & faustitaté: nec in regno ac ducatu aliquid vsurpatᷣ clarius. sed & in pactis matrimonii populariū plerūq; adiūgitur, vt opima pars bonorū primogenitū sequatᷣ. Quo casu si fili⁹ primogenit⁹ nepoté patri reliquerit, pueri patru⁹, i. primogeniti frater, repellitᷣ; ex quo emergūt tragicæ in nepotes adolescētulos cōspirationes: vt Clotarii, q post reges VII. Frācis imperauit, in Clodomiri fratris duos filios. nā terti⁹ vitā redemit latebris monasterii, teste Annonio. iure vero legislator ille Lacedæmonū Lycurgus cōmēdatur, qui Polydectæ fratris natu maioris filiū sibimet ꝑposuit, cū posset regnū indipisci, pręsertim assentiente pueri Charilai matre, quę, dum rex moreretur, vterum gerebat, vt Plutarch. tradidit: nā patruus nec verbis, nec sententia statuit, vel pacti veniet primogeniti appellatione: tum, quia verè secūdo fuit genitus, tum quia primogenito cuiq; defertᷣ successio, vt liberos ipse gignat, & ęternitate aliqua auū designatum donet artificio ꝓpaginis. *§.1. de nupt. col. 4. in Auth* nec obest quod nepos non fuit auo primogenit⁹: satis enim nepoti sufficit, quòd patris præmortui locum subit. *l. posthumorum. ff. de iniust. rup. testam. c.1. de success. fratr. in feud.* & cùm hic nepos cum patre suo

frat.

aui

aui primogenito eadem pene persona fuerit *l. fi. C. de impuber. & aliis subst.* ius quod ab eo per manus accepit, nunquã perdidit. nec obest quod nepos remotior videtur quã patruus: quia nepoti satis est, quod illi proxim⁹ vel potius cõglutinatus fuerit, qui primogenitura excellebat; & cuius personam per omnia repræsentat, licèt in vtero sit dum pater moritur. *l. qui in vtero. ff. de stat. homi.* & in publicis honoribus, velit, nolit, sequitur paternam conditionẽ, vt vidimus. *l. fi. de decur. lib. 10. C.* statim vtiq; cùm nascitur, vt Lycurgus sanctissimè seruauit imitatu dignissim⁹.

† Quod vero consuetudo sibi tantum assumpserit autoritatis circa pacta matrimonii in feudis, propter seriem nobilitatis conseruãdam, *d. c. 1. de filiis natis ex matrim.* mirabitur nullus, qui intellexerit licere iisdẽ pactis hæredẽ facere filiũ primogenitũ in totũ vel ex certa portione, aut alium è liberis: nec tãtũ inter nobiles personas, sed & inter plebeias, tametsi i⁹ ciuile nõ admodũ refrageť, nec mos antiquus cõmunis matrimonio & testamento. Vt enim materfamilias propriè dicebatur ea vxor, quæ coemptione in viri manum veniebat, vt Boetius explicat *libr. 2. Topicorum*, locum Ciceronis rhetoris explanans à forma generis; ita testamentum fiebat frequenter per æs & libram simulata emptione, *§. primo, de testament.* Nec Imperat. in *l. hæreditas. C. de pact. conuent.* 10

prohibēt hæreditatē inter liberos pacto dari, sed inter extraneos successores scriptos, quibus testamentum est necessarium. Durum certe est hoc liberis tribui, sed tamē indulgendum, eò quòd aliàs successio ad eos vltro deuolueretur. *l.1. C. de iis qui sib. ascrib.* non tamē negatur in *d.l. hæreditas*, quin posset parentes pœnitere, si qua pactione nepotes futuros destinassent hæredes. vt in *l. fi. §. sed nobilis. C. de pact.* Sapiebat enim versatilis testamenti naturam sola morte firmandam.

11 † At cōsuetudo Gallica vlterius progressa, pactum, quo incōtinenti à contractu matrimonii, vel sponsus vel sponsa, aut alterutrius liberi, hæredes futuri designātur, immutabile fore patitur, nisi aliorum liberorū portionem legitimam prærodat: tunc enim restringitur, *l. si mater. C. de inoffic. donation.* nam & donatio simplex eodem modo angustaretur. Qui quidem mos pacta de hereditate conuelli non sinens plenus æquitatis est, ne decipiātur coniuges ex vtrauis parte; quippe qui plerumq; ad matrimonium cōtrahendum prouocantur, vt liberis consulant tutò, non liberalitate volucri; non ignari quantæ fallaciæ instruantur ad illiciendos homines ad coniugium. *l. penul. de iure dot. ff.* Quapropter veteres ex sola pollicitatione nedum ex pacto consensum duorum habēte pro dote actionem dedere. *l. ad exactionē, C. de dot. promiss.* quia ob tales pollicitatio-

nes vera sequi matrimonia cognouerant. sicut alibi inermis pollicitatio obligat, quæ causam dedit emendo, de cuius velocitate vel ętate multum promittebatur, *l. ea quæ. ff. de contrah. empt.* nec rarò ducitur mulier locuples à nobili viro, vt saltem maternæ diuitiæ ad ipsos perueniant.

† Cæterùm illud per quàm iustum existimo, vt intra modum dotis suæ mulier retinere possit, quæ bona sua donauit futuris ex priore matrimonio liberis; siquidem ipsa viro superuixerit, *l. 2. ff. de pact. dotalib. l. quamuis. C. de pact. conuent.* Facilè namq; prosiluit ad donandum liberis futuris ex eo matrimonio, quod indiuiduũ existimauit, cùm præter opinionem marito superstes fuerit, iuuenis adhuc, & pudicitiæ consultura secundis nuptiis. Si enim propter agnascẽtem sobolem donatio perfecta reuocatur, *l. si vnquam, C. de reuoc. donat.* cur non reuocabitur saltem intra dotis æquabilem quantitatem, propter ipsiusmet donantis necessitatem? De qua si cogitasset, non tam profusa liberalitate bona primis liberis impertiuisset; nec ita detraxisset sequentibus. Nec dubium est in conuentionibus plurimum pollere animum contrahentium, *l. fi. C. quæ res pig. oblig. poss.* nec oberit quod aiunt parentes plus se ipsis diligere sobolem, *l. isti. ff. de eo quod met. caus.* quia hęc hyperbolę facilè ex eo eluitur, quòd mulier denuo nuptura, & sibi & sobo- 12

li futuræ studet: quinimo iam susceptę, ne in famæ discrimen veniat, in viduitate ingrata permanēs: hęc eadem in patre vigere liquet, *Auth. pater, C. de donat. ante nupt.*

13 † Quod si quis superiorem institutionem hæredis in dotalib. à ratione alienam putet, quod inducat votum captandæ mortis, iam sciat & hoc, licere cum eius consensu, de cuius successione agitur, *d l. fi. de pact. C* quamuis hęredē prędestinet, sed è liberis, non aliter, *l. stipulatio hoc modo ff. de verbor. obligat.* Quid. n. est aliud hæredem facere quàm dominum? §. *fi. de hæred. qualit. l. his verbis. ff. de hæred. instit.* at liberi iam fere viuo patre dominium habent rerum, in quo eodem mortuo perseuerant, *l. in suis. ff. de liberis & posthum.* nec dissentit *l. pactum quod dotali. C. de pact.* sed tātum ostendit pactum, quo filia cohæres fratri dabatur in contractu matrimonii mutari potuisse à patre, & nullam produxisse obligationē ratam, si pater postea recantasset, vt *d. l. final. eod.* vt in donatione inter coniuges: sed præstitit consuetudo ne patri liceat desciscere, & sic nobiliorem generum sortiri; maximè in feudis, quæ non valdè spernunt pacta votum mortis alienæ inducentia. §. *moribus. si de feudo defunct. content: sit cap. final. de feudo dat. in vicem leg. commi. ff.* Redolent enim semper aliquid militare: vt & ibidem miles vassallus appellatur, propriè inde pacta hære-

dita-

ditaria clementius tolerantur, *l. licet. C. de pact.*

† Nec est quod fingamus impium fore 14
filium, si presentia à patre reuocari non posse, quod semel donatum fuerit pactis dotalibus: quoniam immo idcirco reuocabitur, & frangetur marmorea quæuis donatio, & multo magis institutio, quòd impietas ingrati filii emerserit, *l. final. C. de reuocand. donation.* filio namque donatum fuit, non truculentæ beluæ, qualem se mox præbuit. & eò procliuiùs extorquebitur munificentia, quò plenior erga immerentem extiterit. *l. 3. §. vtrum, ff. ad Syllan.* Sic nepotes luent pœnas criminis paterni, non corpore; sed subtracta successione, præ cæteris agnatis, *c. 1. si vasall. feud. priuet. cui defer.* qua de re antea rationem perspicuam nos adduximus.

CAP. VII.

Salica lex Francis Romanisq; communis, num ad ducatum extendatur: de muliere armis idonea: &, de descendentibus ex ea: atq; de feudo dotali, vel propter nuptias dato: tum de pluribus hæredibus vassalli vel domini.

NOTABILIA.

1 *Salica lex Romanorum æmula, nulla regna præterquam Francorum mulieribus subduxit.*

2 *Eadem lex non pertinet ad ducatum seu comitatum: & fratris vterini tantum minimum respectum haberi.*

3 *Mulier armis assueta an feudis apta sit; nec contemni legibus, quæ raro accidunt.*

4 *Feudum nouum an fœminis concedatur, natura timidis, sed per procuratorem seruituris: quid in* feudo franco.

5 *Quid de feudo dato, vt si mas desit, vadat ad feminam: & denique quid si mas natus, mox obierit.*

6 *De filia ex mare genita: quod agnata quidem sit, tum masculi præstantia.*

7 *An pater feudum in dotem iure det filia.*

8 *Vassallus confert pecuniam pro dotanda domini filia.*

9 *Mulier an se dotet ex feudo quo fruitur: &, an vxori maritus inops aliquatenus succedat.*

10 *Donationem propter nuptias maritus in feudo vix facere potest.*

11 *Mulier an nouum vassallum possit maritum facere.*

12 *Plures feudi successores an præstent domino seruitium; &, an sit hoc diuiduum.*

13 *Iuramentum fidelitatis à pluribus heredibus vassalli omnino præstatur; quid in feudo regali.*

14 *Quid de multis domini heredibus, an singuli exigant seruitium.*

Sali-

SAlicæ legis † eximium fuit caput Pharamone rege promulgante, ne qua fæmina Francorum regina esse vellet. quæ alibi non recipitur: non vtiq; in Hispania, Anglia, Lusitania, vel Sicilia, Hispanis nũc subdita propter Petrum Aragoniũ, cui Constantia, Mãfredi regis à Carolo Franco Diui Ludouici fratre superati & necati filia, nupsisset. Nec debuit cõtemni fæmina à Siculis Cerere antiquissima regina ac prima legumlatrice tumentibus: sed libuit Franco æmulari Rom. imperii regiméta, quibus, nisi masculus, nemo inaugurabatur: ita vt August. Cæsari priuignus Tiberius successerit. Sed hic coactus fuit Iuliani Aug. filiam vxorem habere, teste Suetonio: reliqui non idem obseruarunt: nam cum principem armis & iudiciis pręesse deceat, qualis fuit Romulus, *lib.2.de orig. iur.* & Iustinianus §. 1. *de hæredib. & Falcid. col.1.* vtrisq; aptior censetur masculus, maximè more Romano, licèt feminę natura non inuideat animi iudicium, *l. cùm prætor. de iudici. ff* sicut nec mos Gallorum præcellentibus mulieribus, non modo reginæ iurisdictionẽ nactæ, *cap. dilecti. de recept. arbitr.* nec reliqua feuda excepto regno lege Salica subducto, quę profuit Philippo VI. Valesio Carolum Philippi Pulcri Regis fratrẽ, sibi parentem, ostentanti contra Edouardum III. Angliæ regem Pulcri filia Isabella natum: cuius tamen frustra solatur manes Polydo-

rus *libro 19. Annalium*; vbi, de more, genti, de qua ſcribit, aſſentatur, & legem Salicã vnquam exordium aut vigorem habuiſſe diffitetur.

2 † Sanè in Ducatu aut Comitatu filia filio poſtpoſita, agnatos longè poſt ſe relinqueret, ex voto communi parentum liberis ſtudentium, vbi feudi inſtitutio mares fæminasque participare permittit, *capite primo, de duobus fratr. à capite inueſt.* Sic Alfonſus D. Ludouici frater, ducta Iana, Comitis Raimundi nouiſſimi filia, ditionem Toloſatum recepit. Sic Robertus eiuſdem Diui filius natu minimus Borboniorum, heroidem Beatricem coniugem ſortitus. Sic decreto ſenatus Pariſienſis anno 1341. menſe Septembri, Carolus Bloſius Comes Ducatum Britonium obtinuit, ſuccedens Ioanni ratione Ianæ vxoris, Guidone patre genitæ, Ioannis Ducis fratre, aduerſus Ioannem Donfortium, Comitem ac fratrem, ſed vterinum, iunioremque, defuncti Ducis propinquitate & ſexu potiore nixum, & conſuetudine Britonica à Gillio hiſtorico adducta, mares extollente: tametſi in propoſito iunctura eſſet fæminea, §. *ſimiliter. de capitaneo qui curi. vendid.* vbi mas ex fæmina præpollet ſexui deteriori; ſed obfuit victo imbecillum vinculum ab eadem matre tantùm procedens, & nuda cognatio, §. *penult. de ſucceſſion. fratr. leg. fratres. C. de*

C. de inoffic. test. vbi patet quàm non curent iura fratres vterinos, quibus aliquantulum resistitur ab aliquo competitore. Nihil mirum itaque, si Philippus rex Francorum, cui tantopere Salica lex, mascula planè, succurrerat, senatui interim subscripserit & fæminæ successioni, atque Biosium hilariter inuestiuerit. Nam vt constitit superius, inermes fæminas aut in armis parum fortunatas, feudis naturaliter censeri ineptas, sed aptas allodiis opimis & liberioribus, pro quibus bella non adeuntur, *§. inter. si de feud. defunct. content. sit inter domin.* videamus, quid sentiendum, si quando liqueret fæminam virili spiritu & Martia indole præditã, domino præferri cupere, aut agnatis domino potiorib. cõtra filiã. *d. §. inter.* nec otiosa est disputatio, qa licèt Theophrastus dicat, conténi à legislatore ea, quæ bis aut semel accidunt, *l. quoniam. ff. de legib.* tamen laudatur legislator propter curiosam solertiam, si quid sanxerit, vt de hermaphrodito, vtrũ sit testis in testaméto. *l. repũdar. in fin. ff. de testib.* & de insula marina nouè eminéte, *l. insula. de acq. rer dom* sicut de Delo & Rhodo legit̃, occupãtis iure domini futura. Ergo potius lex respicit frequẽtia, *l. nã ad ea. de legib.* Quare nõ spernit ea quæ raritate & miraculo sui pl⁹ oblectaméti præ se ferũt, *§. 1. ver. sextum. de consul. b. col. 4. in Auth.* quin imo strenua mulier res est nõ infrequẽs, vt iã

de Amazonibus Asiam latè domantibus visum est. aliâs nec quicquã laudaretur Hercules, quòd Hippolytę victę balteum abstulisset. nec in celebri expeditione Alemanorum Duce Conrado III. Augusto in Hierosolyma quicquam fuit mirabilius cohorte mulierum, vel potius equitatu muliebri viriliter armato, vt tradit *Nicetas lib. 7. de rebus gestis Manuelis Imper. Constantinopol.* vbi victoriam insignem Christianorum describit. Vt taceam Ianam Gallicam, puellam Anglis exitialem, & ab eorum infestissimis gladiis regnum asserentem, soluta obsidione Aureliani oppidi sub Carolo VII. Rege. Sed nõ tacebo notatum à me locum Vlpiani, sexum non discernẽtis à masculo fæmineum, cùm quæritur de numero liberorũ, qui bello assumpti, patri prosunt ad tutelæ excusationem, *l. bello ff. de excus. tutor.* idcirco cùm ibi in obsidione vel in acie puella interẽpta, parentem iuuet, cúmque instar viri si transfugerit ad hostes plectatur, *l. 19. §. transfugæ, ff. de captiu.* cur non in feudo obtinendo ipsa sibi proderit victrix & valens? Deniq; si iura virum effæminatum oderunt, *l. cum vir. C. ad leg. Iul. de adult.* quare mulierem virili mente manuq; claram non viri loco habebimus? Ex quo est illud Ennii;

Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres:
Illaq; virgo viri.

Nam Clœlia virgo Porsenæ regi Hetruriæ

inter

inter obsides à Romanis data, noctu traiecto Tiberi fluuio, eques ad suos rediit, mox hosti reddita & ab hoste denuo suis, statuam equestrem in foro meruit, vel in sacra via, vt mauult *T. Liuius lib. 2.* neq; enim hosti tantùm fidem fregerat, quòd priuato militi licet & aufugere. *l. nihil, ff. de captiuis*; sed Reip. etiam à qua obsidis titulo data extitisset, *l. 5. de pact. ff.* ideo reddi eã decuit regi virtutem muliebrem demiranti & remunerãti, quem imitari in feudis permittendis cõuenit: nec sexui adeò detrahere, vt insidiemur virtuti: cumq; mulier pignus militare satis firmum in proposito visa fuerit Hetruscis ac Quiritibus, preiudicatum intelligitur à belli muniis & premiis iniustissimè illam arceri, licèt obses à pugna absit. *l. postliminium, §. fi. de captiu.* Vbi nihil interest cuiusmodi naturæ sit homo, qui vsui fuerit militiæ, consilio, vel aliis modis. Sic & mulier comprehenditur, *l. hominis. de verbor. signif.* eò magis quòd muliebri consilio, manu aliena, bella quædam satis auspicatè gesta sunt. Sic Theodora perfecit, vt in insigni seditione mota Constantinopoli Iustinianus fugæ iã accinctus, propter Hypatium à furente populo Imperatorem designatum, fortiter restiterit; postquã audiuisset ab amante vxore, pulchrum esse vel in sepulchri elogio Imperatorem inscribi, teste *Procopio lib. 1. de bello Persico.* ex quo illa in arduis æquali honore cùm viro dona-

tur, *§.1.iusiurand. quòd præstat.in Auth.col.2.* & de eadem virgine illustri pluscula imposterum dicemus.

5 † Sciscitor nunc appositè, an feudum nouum sic institui possit, vt fęmina seruitium ipsa præstet, quod scimus in armis potissimũ versari. nec ignoramus pacto licèt cõtra feudi naturam standum esse, *c.1.de feud.fam.ca. 1.de feud.nõ habent.propr.* & magis est vt feudum quidem sit fæmineum: nec mulier vel sequaces de posteritate tale iusiurãdum amplius præstare teneantur, sed per substitutũ defungi possint obsequio, ne periurium frequẽs incidat. propter exemplum paucarum bello vtiliũ, *§. quia verò, in Auth. vt sine prohibit. matres. col. 7.* imputetur domino stipulanti aliquid incongruens & cõtra sexus naturam, *l. si stipulata. ff. de donati. inter vir.* eò magis quòd iuxta philosophos mulieres frigidæ naturæ, timidiores sunt, & ideò repentè audaciores pręstare nequeunt tandem id, quod leuiter iuratæ spoponderunt, sic excusantur *capit. 1. quo tempore miles inuestit. pet.* ideò dabunt militem procuratorem sufficientum ad obeunda pericula. *§. similiter. de lege Conrad.* multò magis à militia immunis erit mulier in feudo Franco, id est, seruitii experte, *§. fin. per quos fiat inuestit.* de quo nihil amplius adferam, cùm in feudo definiendo disquisitum sit: nec putem feudum sine aliquo homagio in vlla persona subsistere.

† Trans-

† Transgrediamur igitur ad feudum, 6
quod ego libenter dixero *androgynon*, *semimaris naturæ*: cùm sic datur, vt deficientibus masculis migret ad fœminas, simili obsequio & amissione obstringendas. §. *penult. si de feud. defunct. content. sit inter domi.* & indagamus, an si filius, qui sororem impedit suam (preferturnamq; masculus) intercidat, rursus in fæminæ personã reuirescat. de quare sic Obertus, §. *fin. episcop. vel abbat.* Si quis eo tenore feudum acceperit, vt eius descendentes masculi & fæminæ illud habere possint, relicto masculo vlterius fæminæ nõ admittuntur. Vbi Accursius secus putat, si masculus à morte patris subito decesserit, ob. *l. posthumus. ff. de iniust. testam.* vbi nihil prorsus de eo, qui mortuo patre, sed viuo: quare perinde habetur atque si nunquàm extitisset; non si postea breui obierit, vt probo ex *l. Lucius. ff. de iure fisc.* quamquam aliis rationibus illiciar in Accursii sententiam, è crebra interpretum turba explosam: & primò, quia non pateat locus fæminæ in feudi successione, donec masculus superest. *cap. 1. de eo qui sibi vel hæredibus suis mascul.* quo loco idem interpres quoq; fretus est, animaduertens, opinor, particulam, *donec*, tractum habere tẽporis, quo masculus potitus fuit feudo, mox fæmina filia, post mortẽ patris, excluso patruo & aliis agnatis. Ratio additur secundò ex *c. 1. de duob. fratrib. a capit. inuest.*

vbi in eadem specie frater vassalli repellitur: quia vnusquisque hæredibus ex recta linea descendentibus, censetur consuluisse, si modo feudum fuerit semel semi-fęmineũ. Nec deniq; frater debuit esse instrumentum sororis eiiciendæ, vti faueat patruo aduersus parentis verisimile votum & iuris splendidam rationem, quæ sororem inter agnatos dinumerat perspicue in §. *Cæterum, de legit. agnat. success.* si quis perspicax, imo etiam luscus, Iustinianum ibi perlegerit. Pręterea videre licet substitutum hæredem à matre infantis superari, si tamẽ ipsa morte vel etiam repudiatione subtracta sit, substitutionem instaurari. *l. fi. C. de instituti. & substit.* nempe agnatis postpositis. Quod si quis dicat filiũ semel interuenisse sufficere, vt in perpetuũ excludantur fæminæ, *d. §. fi. episcop. vel abbat.* fatebor vtiq; si posteri ex filio linea recta superfuerint, non vt domino vel alii locus fiat. *d. c. 1. de duob. fratrib. à capit.* nec me mouerit *l. filius famil. §. cùm quis. de legat. 1.* Vbi cùm relictum est Titio si Seius hæres vel legatarius sine liberis decesserit, sat est ad expellẽdum Titium, si liberi Seio superstites sint, etiam exhæredati: nam iuuat hoc opinionem nostram, vt postquam quoquo modo masculus è medio recesserit, fæminę de quibus expressim actum fuerat in feudi exordiis vocentur ante dominum, vel agnatum. *§. filia, de success. feud.* quia concepta fuerat

con-

conditio, si liberi defecissent: at in *d.§ cum quis*.non si defecissent liberi accersebatur fideicommissarius; sed si prior rogatus restituere liberos non sustulisset; quos quidem post se habuit & reliquit. & facta pro infectis non habentur vtrobique, vt in *Auth. se & si quis. C. de secund. nupt.* Excusandos tamẽ existimo veteres iurisperitos, qui se consulentibus aliter respondisse gloriantur: non enim in mea scripta inciderant, digni equidem meliore iudicio.

† Spero fore, vt superiora iter stratum æquitatis silice prębeant ad id, quod solet ambigi, cum feudum constituitur vt perueniat ad descendentes ex masculo, an ad filii filiam pertinere possit. Cùm enim exploratum sit eam agnatam esse patri, licèt sexus alterius. *d §. Cæterùm. de legit. agnat. succession.* feudi capax censebitur, quod agnatione tantum delectatur, quantùm à nuda & omnino fæminea cognatione abhorret, *cap.1. de success. fratr.* nõ dissensere antiqui propter eiusdem Augusti autoritatem in §. *itẽ vetustas. de hæreditatibus quæ ab intest. deferunt.* vbi patet, quãti fecerit vetustas neptem ex filio incœpturam quidem nouam familiam, si nupserit, *l. familiæ. de verbor. signif.* sed interim iunctam patri, & per patrem auo masculo, secus atque nepos ex filia, *l. lege. §. huiusmodi. C. de legit. hæredib.* hîc enim cognatus est, illa verò agnata. Et amplius ausim asseuerare, mascu- 6

lum ex tali nepte ortum, complecti feudum ita datum, vt perueniat ad posteros masculi filii: quia cum semel neptis admissa fuerit, præteruerecundum duco, prolem ex ea respuere, cùm mascula sit quauis ex fæmina, *capit. 1. de eo qui sibi vel hæredib.* vt non modo ex masculo matre interiecta descenderit, sed etiam præualuerit sexu. Inde Thales gratias Deo agebat, quòd homo, non brutum; quod vir, non mulier genitus fuisset: tertiò, quòd Græcus. Hoc quidam tribuunt Socrati, teste Laërtio; sic masculus ex fæmina succedit mediatè, vt aiunt, hoc est, ne deterioris cõditionis sit: quemadmodum auus excludit matrem, quando pater occurrit in medio, *l. æquissi. §. fin. ff. ad Tertyll.* ne auus patre inferior inueniatur. & hoc vltra iuris ciuilis argutias mera dictat iustitia, *c. 1. an marit. succed. vxori in benefic.*

7 † Hæc de fæminis dixerimus, quas indotatas relinquere acerbum esset, & parùm è republica, *l. 1. ff. solut. matr.* sequitur itaque inquirendum, *An doti feudum dicere liceat.* & aiunt, in patris persona, non licere. *§. donare. qualiter olim poter. feud. alien.* quòd quidam referunt ad feudum æstimatum dotis causa, & sic alienatum & viro addictum, *l. quoties. C. de iure dot.* atqui feudi alienatio, illic odiosa describitur ab Oberto, & sępè alibi. Sed hæc ratio fragilis admodum est: nam nihilo magis prohibetur mulier

lier vendicare dotem æstimatam, *l. in reb. C. eadem.* quia nõ simplex est alienatio, sed dotis causa, in qua modò vir, modò vxor, aliter atq; aliter creditur dominari, *d. l. in rebus.* vel neuter potius, §. *1. quib. alienar. licet. in Institut.* accedit quod gener filii loco sit, & socer, patris, *l. quia. ff. solut. matr.* quare tolerabilis esset alienatio in filium, & quidem sexu pręualentem ipsimet naturali filiæ vassalli soceri. Ratio ergo potior sit. quare in dotem nõ detur feudũ à patre: quia dos reuera est proprium filiæ patrimonium, *l. in eum. ff. de religios.* & ei cedit pro legitima portione in bonis parentis debita, *l. quoniam. 1. C. de inoffic. testam.* planè cùm de feudo quæritur, fœminam reiicimus naturaliter. §. *filia. de success. feud.* Non ergo fas sit fœmineum illud efficere vassallo, nisi dominus nouè cõsenserit, vel potius agnati; quia de feudo antiquo tractatur. § *pe. qualit. olim poter. feud. alien.* Quid ergo, remanebit ne sine dote filia, quæ nec vulgò opifex esse solet, nec ali potest aliunde, nec denique potest innupta sine pudicitiæ periculo manere. Ex qua vna ratione fit, vt res alienari alioquin veritæ, impunè distrahantur ex parentum voto. *l. mulier. § pen. ff. ad Trebellian.* nisi, vt ibidem innuit Vlpianus, tanti fructus ex feudo legerentur, vt respondeant doti pro nobilitate coniugum cõstituendæ; quãdo scilicet nihil habet amplius pater in fortunis suis quàm feudum,

& necessitate vrgēte ex eo filiam dotare adigitur cessante fraude, *l. qui liberos ff. de ritu nuptiar. l. quaero, de iure dot.*

8 † Addo id quod volunt omnes optimæ notæ doctores, vassallum teneri inueterata consuetudine pro dotanda domini filia pecuniam aliquam contribuere; quòd officiū in elocanda clientis filia vicissim seruatum Romæ Dionysius Halicarnasseus tradit *libr. 2.* etiam tunc, cùm sine prædio necessitudo talis vinciretur. Nec dubium est vassalli & domini, parem pietatem iure iniungi, *cap. 1. qualit. domin. propriet. feud. priuet.* quocirca dominus improbè reclamet vassallo filiam dotanti mediocriter sine versutia, vt explicui. multominus agnati detegentes sæuitiā, si puellam egere curent sanguine coniunctā, quàm humanè magis de suo dotare debuerant, *l. cum plures. §. fi. ff. de admin. tutor.* proinde quòd dictum est in *d. §. donare*, feudum in dotem donari non potuisse, intelligitur, si aliæ facultates suppetant: vel si feudo solo vassallus foueatur, non dabit in dotem, puta, prorsus, sed tamen pro portione legitimæ liberis debitæ. Vt cùm socius non desinit esse dominus rei communicatæ, *l. si tibi area. ff. de præscr. verb.* id est, in totum, sed pro parte tantummodo, *l. 1. pro soci.* similiter in *l. 1. §. cum dos, de collat. dot. ff.* multùm pro dote puellę pugnabit, quamuis aliâs inhabilis, si feudum luculentum sit, cuius fragmē-

to le-

to legitima commodè corradi queat. § *final. episcop. vel abbat.* vel duos fungens vice legitimę & alimoniæ: sed prudentes cognati curabant de suo patrimonio dotem pendere, si nolint quicquam de feudo decedere. nec obest quòd cæteris creditoribus agnatus nō tenetur, nisi de fructibus. *cap. 1. an agnat. vel filius defunct.* quia præterquàm quod mulier creditrix omnino futura est à tempore mortis paternæ, suadet pietas ratioq; naturalis, ne esuriat, cùm alii successione paterna locupletentur; neve periclitetur de pudicitia: propterea fit vt dos viuo parēte ipsi præstetur, quamuis secus in legitima. Præterea in *d. cap.* 1. Obertus loquitur de agnatis tūc succedentibus, cùm vltra feudum hæreditaria bona supererant, ex quib. dos dici potuisset apertissimè. & hæc de dotāda per patrem filia sufficient.

† Cùm aūt se ipsam elocat, & marito dat dotem, nihil vetat feudum dotale fieri, *c. 1. de eo qui sibi vel hæredib.* Ratio paratissima est: quoniam feudum, deficientib. masculis, ex pacto factum fuerat fœmineū: nec quicquā prohibet quo minus mulier quicquid habet doti, destinet. *l. nulla. C. de iure dot.* insuper feudi fœminei natura ad filios ex eo matrimonio leuiter illabetur, *cap. 1. an marit. succedet vxori in benefic.* & his non extantib. ad filias: maritus verò non succedet vxori, vt ibi dicitur, nisi consensu domini inuestiatur 9

ipſemet maritus, vt etiam probatur *cap. 1. de inueſtitur. quam Titius accep.* vbi quoq; feudum doti applicatur, ſed fæmineum: non ita ſi rectæ naturæ cenſeretur, *ca. 1. de inueſtitur. in marit. fact.* Sed quid foret iuris, ſi conſuetudo iubeat maritũ ſuperſtitem lucrari dotem, veluti Toloſæ ſeruatur? aut ſi idem pactione rata cautum fuerit, vt in *l. ſi pater ff. de pact. dotalib.* licèt deſit ex connubio ſoboles, num ita iniuſſu domini mulier feudum alienabit in maritum, cùm iure aliâs prohibeatur alienatio, *d. §. donare. qual. it. olim poterat feud. alien.* nam & iure vir cõiugi ſuccedit ab inteſtato cognatione deficiente. *l. 1. C. vnde vir & vx.* nõ tamen in feudo, ſicuti diximus. Quare patet ei parum faueri in re vetita, i. in alienatione, cùm in permiſſa, i. in ſucceſſione tantopere ipſi derogetur. nec prodeſſet ordinatio alia ex teſtamento, *cap. 1. de ſucceſſ. feud.* Sanè ſi maritus eſſet pauper ſuperſtes vxori locupleti, quæ nihil aliud haberet in bonis præter feudum eximium, quartam lege miſerante cõceſſam illi darem, *Auth. præterea. C. vnde vir & vx.* Sed in fructib. feudi, ſi ſufficerẽt primùm, deinde ſupplerem pecunia, cùm rem indiuiſam manere expediat, quoad eius fieri poteſt *§. eadem. de offic. iudic.* vt in ducatu & marchionatu. *§. præterea. 2. de prohib. feud. alien. per Federic.* vel ſi cõſenſum ſit, vt vim hæredum feudum inſolidum ſeruetur. *§. omnes. ſi de feud. cõtent. ſit inter domin.*

& agnat. & licet Obertus de solis loquatur fructibus, in *d.c.1. an agnat. vel filius defunct.* tamen si nihil vltra prædium feudale restet, pecunia supplebitur portio; ne indecorũ sit nobilissimæ & ditissimæ mulieri indignum maritum superesse, & à benè trãsacti matrimonii fide alienum, *c.1. de natis feu.* quo loci ratio hæc adducitur. Idem in viro pręmoriẽte statuitur; §. *quia verò, in Auth. vt liceat matri & auiæ, col. 9.* Sæpissimè enim clarissimi viri obscuriores mulieres iustis nuptiis sibi sociant, vt Assuerus rex puellam Esther præ pedissequis omnibus Vasthi reginæ merito repudiatæ speciosam & indole amabili pręditã, *li. Esther c. 2.* & M. Cato Censor Salonii vassalli sui filiam amissa priore vxore duxit.

† Consequenter dubitatur, an maritus possit constituere donationem propter nuptias in feudo: quòd omnes sentiũt. Vt Curtius refert, propter ęqualitatem dotis & donationis propter nuptias, *Auth. æqualitas, de pact. conuent. C.* sed perfectò inde manifesta resilit inæqualitas, mihi displicẽs supra modum; quia fateor equidem iure, cui cõsuetudinẽ aduersari Accurs. docet, inter coniuges dotis & donationis æquam lancem adhiberi in mutuis constitutionibus, quoad quantitatem & acquisitionem: quid tum? nam iam vel peruicacibus persuasi, nihil feudi pro dote inconsulto domino alienari in virum, sed tantùm dari eidem desultorio do- 10

minii genere morte vxoris auellendo, si nõ supersint liberi ad quos feudum perueniet fæmineum. ergo in *d.c.1.de inuestitur. quam Titius accep.* feudum sic transiuit ad maritũ, vt fructus in dotis onera traduceret. *l. pro oneribus. C. de iure dot.* nusquàm è diuerso legere queas fructus donationis ante nuptias ad vxorem pertinere: quia nec subit onera matrimonii, sed ipsa potius inter onera numerari solet. Hinc Antiphanes apud Stobæum:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν βαρύτερον τῶν φορτίων
Οὕτως, γυναικὸς προῖκα πολλὴν φερούσης.

Id est, *nullum est onus grauius verè, quam vxor*
11 *ferens dotem multam.* † Quamobrem licet mulier feudũ in quo succedere nequit, quia bella plurimùm nescit, vt iam diximus, fundare valeat, § *fœminam. per quos fiat inuestit.* non cõtinuò in dotem sic feudum instituet, vt maritum nouum vassallum habeat, cui vt subsit & pareat, omni iure moreq; comparatũ est, & inferiori domino seruire, in feudis maximè, præposterum est. §. *eadem. de lege Conradi.*

Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fient fœmina virq; pares.

vt dixit Martialis. Nec valet conuentio inter coniuges contra reuerentiam bonis moribus receptam, *l. alia. §. fi. ff. solut. matrim.* ideò velabãtur olim in nuptiis fœminæ, vt se subditas viris verecundasque agnoscerent. *can.*
fami-

fœminæ 30. q. 5. sed posset mulier viro sic feudum dare, ne indigna sexui ordiniq́; seruitia præberet, vt in feudo quod *Francum* appellant. §. *final. per quos fiat inuestit. vt l. 3. §. fin. ff. de decuri.* † Postquã de successione actum est, disquirere decet de pluribus successoribus, quales plerunq; ab intestato accidunt, 12
cap. 1. de succes. feud. an omnes domino sacramentum fidelitatis præstare teneantur, nisi velint feudo carere, ex *cap. 1. quo tempor. miles inuestit. pet.* & obtinuit, vt omnes iurent, maximè si indiuisum feudum manserit. § *omnes. si de feud. defunct. cõtent.* nisi, vt ibidem habetur, feudum penes vnum resideat: alioquin feudo diuiso, magna iniuria afficeretur domin⁹, nisi à singulis exigeret homagium: quia eorum portiones efficerentur liberæ præterquàm vnius. Accedit, quòd hic solus eneruatis sectione feudi virib. satis incommodè onera Martia subire posset, § *1. de prohib alien. feud. per Lothar. l. 2. de omni agr. desert. libr. 11. C.* quocirca licet feudum diuidatur, tamen seruitium stat indiuiduum, quia in facto consistit. *l. stipulationes non. ff. de verbor. oblig* ita singuli hæredes insolidum obligãtur, sed vno perfectè exhibente tale obsequium, quale defunctus exhibere consueuerat, satisfactum est, reliquosq́; eximit, & actionem contra ipsos habet pro impendiis communibus, *l. hæredes. §. in illa. ff. famil. herc isc.* nec oberit *l. Seio. ff. de annuis legat.* vbi

iuſſus præſtare tribus operam & ſenos aureos accipere, duobus exemptis, poteſt tertiò eam præſtare duob. aureis acceptis: quia labor & pecunia recipiant diuiſionem. Reſpõdeo, ibi tractari de vno qui pluribus hæredibus operari tenetur, vt præmiũ capiat; nos de pluribus vni obnoxiis loquimur, ne ſcilicet pœnam incurrãt. & hoc plurium factum prorſus eſt indiuiduũ, hoc eſt, niſi cõſummatum nulli proficit. *l. ſi is qui* c c c c. §. *quadam. ff. ad leg. Falc.* pręterea diuiſio pecuniam reſpiciẽs perfecta eſt, ſed ſi factum reſpiciat, potius eſt quædã reſtrictio; quia minus operabitur Seius pro vnico hærede, quã pro tribus. ſic dicitur, *diuidi aquæ ſeruitus*, id eſt, reſtringi, *l. aquam quemadmod. ſeruit. amitt.* & dicitur ſeruitus eſſe pars, id eſt, totũ diſcretum. §. *è contrario de inueſtit. de re alien. facta.* in ſummã aut parteſconſentiunt quiſnam hæredum pro omnib. præſto ſit domino ad obſequia, & tunc benè eſt: ſin minus, iudex eliget vnum pro reliquis, ne ſingulos interpellare dominus cogatur, vt ſibi auxilientur iuxta §. *licet. ſi de feudo defunct.* & ne oneroſum ſit ei plusquàm profuturum, ſi à ſingulis hęredibus exigat, qui deinceps alios atq; alios hæredes habere poſſunt. *l. 3. §. 1 ff. de alim. leg. l. quòd ſi nolit*, §. *ſi plures. ff. de ædil. edict.* Dilucidius hoc deſcribitur in *cap. quãto. de cenſib.* ab Innocentio III. Pontifice.

13 † In iuramẽto aũt fidelitatis aliud ſtatuo:

quia

quia rarò pſtatur, & circa exordia videlicet inueſtituræ. Ideoq; hæredes omnes iurabūt domino, ſicut aſſerui: vel vnus iurabit in animā conſtituentiū, *c. nomina, de pace Conſtant.* aut domino conſentiente iurabit pro cohærede affectione ſocia, *l. videamus. §. curatores. ff. de in lit. iuran.* In feudo conſuetudine indiuiſo nihil erit dubii, vt olim in Ducatu & ſimilibus, *§. præterea. 2. de prohib. feud. alien. per Federic.* quia ſol⁹ ſeruit potiori, qui ſolus dominaturus eſt reliquis, & quocūq; modo ad vnum hæredum feuda peruenient ſolida, *d. §. omnes, ſi de feud. defunct. contentio ſit.*

† E diuerſo, quando plures ſunt hæredes 14
vnius domini, vaſſallus non tenetur ſingulis ſeruire. An aūt iuramentū fidelitatis præſtare debeat & admonere reuerēter, vt vn⁹ eligat̃ ſucceſſorū, cui ſeruiatur, in *d. §. præterea,* quæri ſolet. Cæterùm putē iuramēto nō offendi vaſſallū; quia nec vitæ, nec impēdii periculum ſubit, vt in ſeruitio: tunc. n. tantummodo læditur, cùm plures dominos vix vnquā concordes accipit, vt innuit̃ ibi à Feder. Auguſt. propter procliuē hominū ad diſſentiendū facilitatē, *l. item ſi. §. fi. ff. de recep. arbit.* Eſt. n. omnis poteſtas impatiēs conſortis; & , qcquid delirāt reges aut duces, in caput ſubditorū tradit̃, *l. fi. ff. de rer. diuiſ.* vbi vix paucis diebus duos fratres reges Roma ptulit. Verū iuramentū fidelitatis plurib. nō nocet; qa ſemel tātū ab initio & leui opera illico pficit̃.

vt in ſatisdatione, *l. 13. ff qui ſatisd. cog.* alius priſcorum addit rationem hãc, quod vaſſalli intereſt pluribus dominis iurare: *quod*, inquit, *à pluribus defendetur*; ſed ſine ratione; quia ab eo tantum defendendus veniet, in quem tandem confluxerit proprietas feudi, vel ius imperandi vaſſallo vt ſuppetias ferat. nec enim defendetur hic ab eo domino, cui non viciſſim opitulabitur; cùm mutuum ſit vtriuſque auxilium, *cap. 1. qualiter dominus propriet. feud. priuet.* atqui vni tantum obſequi tenetur, vt liquet in *d §. præterea, de prohib alienat. per Federic.* conueniant igitur heredes effecti domini, cui potiſſimum pareatur, ne ſe inuicem impediant. *l. huiuſmodi, §. fi. de legat. 1.* ſicuti de pluribus hæredibus vaſſalli exiſtimandum eſt.

CAP. IIX.

De temporis præſcriptione in feudis; quodque feudum armis acquiratur & incipiatur; de fructibus & eorum diuiſione; & de incrementis prædio feudali obuenientibus.

NOTABILIA.

1 *Temporis curſu feuda acquiri, & fieri loco tituli lucratiui ſufficientis.*

2 *Quare feudum* cameræ *ſeu* cauenæ *paucis penſionibus probetur.*

3 *Allegans contractum pignoris in feudo, an trans-*

transferat onus probãdi in aduersariũ, qui diu possedit.

4 *Iusiurandum vassalli feudum asserentis, an sit loco longi temporis; &, cum lex ait,* nullam esse præscriptionem, *non excludi longæuam.*

5 *Dominô similiter prodesse vsum 30. annorũ; &, an scientia eius contra quem præscribitur, desideretur.*

6 *Intra quantum temporis vassallus petat inuestituram vel eius renouationem.*

7 *Negligentia militum durius vindicatur quam priuatorum: & de facilitate curiæ Mediolanensis, circa illorum moram.*

8 *Ætas, absentia, mors vassalli dant excusationem eidem vel hæredibus.*

9 *Inimicitiæ domini gliscentes vassallum excusant; item eiusdem subsequens lenitas.*

10 *Consuetudine Tolosatum cessationem vassallo non nocere, vt in censuali contractu.*

11 *Armis feudum inchoari, & vassalli male feudum alii rectè concedi.*

12 *Vetustatē dominari ditionum finib. & cõtra potentiores in feudis pleraq; iure tolerari.*

13 *Fructus feudi ad quē spectent, vassallo mortuo, habito delectu temporis, quo is moriatur.*

14 *Necessitudo feudalis sanctior quàm cognationis, & ferè quàm coniugii.*

15 *Quare diuisio fructuum Martio mense, item Septembri animaduertatur.*

16 *Mortuo Episcopo ad quem prædiorum fructus & alii reditus pertineant.*

17 *Incremẽta feudorum vtrum dominum vel vassallum hæredemve sequantur.*

18 *Ædificium positum à vassallo mox defuncto, cuius sit, si filios non reliquerit; quid de agro adiecto; quid etiam de seruitute.*

19 *An imponat feudo seruitutem vassallus.*

20 *Seruitus malè imposita migrat in ius quoddam personale.*

1 † NOn sine causa Pindarus appellauit tẽpus omnium rerum patrem: nihil.n. non generauit noui, nihil antiqui non occuluit, vt natura tẽporis curriculo sursum versum nouas formas inducens, & nouæ legis ope indigens, §. *sed quia. quæ fuit prima caus. benef. amitt.* certè post inuestiturã & successionem accedit tertiò tempus, & se feudi iactat opificio; si forte triginta annis aliquis prædiũ velut feudale possederit, & domino seruierit, se tempore tueri potest, licèt inuestitus nõ fuerit, §. *si quis per. si de feud. defunct. conten. sit inter dom. & agnat.* Vnde tempus à lege præstitutũ est loco inuestituræ, & loco tituli iusti, per quem plurimũ soleant feuda institui, i. spe seruitii futuri, & amore honoreq; domini, *c 1. de feud. dato in vicem leg. cõmiss.* & sic quadã libertate digna nobilib. viris: aut veriꝰ dixero, titulũ re ipsa interuenire, nẽpe lucratiuum, donationis pręsumptę, inquam, ꝓpter patientiam domini: qui quidem

dem titulus mirificè iuuat præscriptionem *l. pen. de præscript. long. tempor.* quamuis lucratiuus merè sit, vt ibi probatur, & in *l. si ego. §. 1 ff. de publici* quantò magis in feudo, vbi domini munificentia nõ est sine remuneratione homagii. Accedit quod in *d. l. pe.* tantum 10. anni vel 20. requiruntur ad acquirendam rem quamlibet, puta decem, inter præsentes. Ergo satis durè cũ vassallo agitur in feudis, cum 30 annos ad præscriptionem desiderent, præsente interim domino, cui seruitium exhibebatur: sed nobilitas feudi & grauitas maiori eget tempore, vt suppleatur titulus, deinde inuestitura valdè solennis, *cap. 1. quid sit inuestitur.* & tertio possessio tradita verè ab inuestitura discrepans, *ca. 1. quib. mod. feud. constit.* vbi obiter notamus apertum assensum domini, feudi possessionem permittentis sine prævia inuestitura, & mox sine lapsu tẽporis 30 annorum feudum non consistere, nisi commentitium, quod ad vassalli hæredes non penetret, contra nouissimam feudi naturam, *§. cùm vero de iis qui feud. dar. poss.* magis enim elaborat lex circa id quod scit perpetuũ, quàm quod breui æuo finiendum præuidet, & hoc faciliùs tolerat, quamuis impolitum, *l. in hoc. §. si conueniat, ff. communia diuidundo. l. 4. ff. de seruit. rustic.*

2 † Et hinc volo vt quisque animaduertat feudum cameræ seu cauenæ affici vassallo,

qui à domino pensionem auri vel frumenti acceperit bis vel ter; eò quòd non tanti momẽti est quanti reliqua, nec possidetur perfectè, sed quasi. §. *si vero, quid sit inuestit.* & quamuis pensio annua rei immobilis vice fungatur, tamen in re consistit mobili pecuniæ vel annonæ in horreum inclusæ in feudo, & *l. 1. §. exactio. C. de rei vx. act.* quę ad alimẽta vassalli accedit, & idcirco aliquot præstationibus secutis roboratur. *l. quadam. ff. famil. herciscund.* vbi hoc probatur apertius, quàm in *l. 1. C. de fideicommiss.* vbi de testamento agitur: tamẽ illic Obertus ait, vassallo iurandum esse nisi domino referre malit conditionem super feudis gracilibus cameræ, siue cauenæ, quorum nomine pensione biennio saltem potitus fuit, & seruitium, vt arbitror, vicissim pręstitit, vt in *d. §. si quis per. si de feud. defunct. content.*

5 † Sed videtur 30. annos non sufficere solummodo ad pręscriptionem, in *cap. 1. de vsu Mediolanens.* vbi cùm quidam tanquam vassallus totis 30. annis quietè tenuisset prædiũ, interpellabatur à filio domini repignerare parato, & in pignus datum fuisse affirmante: quare iurare tenetur possessor feudum reuera extitisse, ac præcessisse inuestituram; quod admodum abest ab effectu, quẽ tempori dedimus, sine sacramento & sine alia inuestitura. Quod si dicamus hoc ita cõparatum, quia filiꝰ domini allegabat pignoris

ris contractum, iam eueniet vt quilibet eundem alleget, vt eludat vim præscriptionis 30. annorum: ac vt sic oneret iureiurãdi necessitate aduersarium, quæ plerisque formidolosa est præsertim post lõgi temporis decursum, *l quæ sub. ff. de cõdit. institut.* cùm potuerit obrepere obliuio. Quamobrem existimo in *d. cap. 1. de vsu Med. ol.* pignus non sine colore allegatum; quia constitit pecuniam domino datam fuisse, & sic in dubio pignus eliciebatur nam etsi non sit omnino dissentaneũ à natura feudi, vt dominus pretium capiat, *cap. 1. de natur. feud.* tamen est insolitum & satis ignobile, *d. cap. 1 de feud. dat. in vicem legis commiss.* si pignus potius, quàm venditio coniecturam trahebat, nisi vassallus sacramento illam obliteret.

† Adhuc instat pugnaciter, quod vbi sacramentum adiicitur, non expectatur tricẽnale spacium, sed annale tantum, in gratiam vassalli, qui tenuit feudum patiẽte domino. *§. fi. si de inuestitur. inter domi. & vass. lis oriat. capit. 1. de consuet. recti feud,* nam id temporis agnato taciturno alibi pariter nocet, *§. præterea. quib. modis feud. amitt.* ne queri possit de feudo alienato, *§. Titius. si de feud. defunct. content.* 4

Respondeo, hoc habere locum, quando initum fuit feudum sine pecunia; & sic dubitari nõ poterat vtrum pignoris, an venditionis cõtractus præcessisset: aliter autem

ſi vaſſallus benignè poſſederit 30. annis, ſe tuetur ſolo tempore, & aſſenſione domini ſine iureiurando: ſin autem anno tãtum vel pluſculis citra triceſimum, ſupplet iurans intentionem ſuam, & obtinet; planè videtur dominum nulla præſcriptione iure ſuo fraudari, ſi fortè vaſſallus feudum audacter alienauerit. § *praterea.de capitul Conrad.* vbi Accurſius hunc nodum ſoluens, nullam intelligit longi temporis 10. vel 20. annorum, ſecus in tricennali. *l. final. C. ne de ſtatu defunctor.* ita vt dictio, *nulla*, non omnia perneget, §. *fi. de codicill.* apertius *l. qui liberis. de vulgar. ff.* ſic ego laboranti Accurſio auxilior.

5 † Hæc omnia ego transferrem ad domini compendium, ſi fortè triginta annis vſus fuiſſet re feudali, tanquam penitꝰ libera, ita vt nec iniunxiſſet ſeruitia nec accepiſſet, ſed fructus prædii vaſſallo patiente annali curriculo: deinde iuraſſet in re dubia, nó in comperta: ſi verò 30. annis etiam ſine ſacramento, vt diximus *d. § Titius. ſi de feud. defunct.* vbi anno vertente excluſio iuris ſequitur; & magis fauemus libertati recuperandæ ope temporis, quàm quærendæ ſeruituti, *l. 4 §. fin. de vſucapi. ff.* nam ſpecies ſeruitutis eſt ita dominari, vt alius ex re tua lucrifaciat; & lucri loco ponitur te hoc eximi onere, *l. ſi tibi. §. final. ff. de legat.* 1. feuda etenim fiunt, nec naſcuntur: ideo gaudent primæuam naturam recipere, vt res quælibet. nam & aui-

culæ

culæ inclusæ caueis, quamuis lautius solitò saginentur, quiduis tentant, vt se possint manumittere. Nolo huc adducere *l. si vnus*, *§. pactus, in fin. de pact.* Nec in 30. annorum præscriptione quicquam curamus scientiam vel ignorantiam eius, contra quē præscribitur; secus in annali, *§ fin. qualiter olim poter. feud alienar.* † Gustato semel temporis effectu, pergemus in eodem suauiter, 6
& percontabimur intra quantum temporis vassallus designat', inuestituram petere debeat in feudo nouo, vel renouationem eius, quãdo dominus mortuus est; vel, vassalli hęres à domino. & constat annũ & diem pręstitutum, *c. 1. quæ fuit prim. caus. benefic. amitten.* alioquin cadit iure suo cũctator seu arrogãs. Sed tamen annus & mensis dari videtur in *c. 1. quo tempore miles inuestit. peter. deb.* Vbi Doctores vt fulciant labem hanc, aiunt de milite, nõ de priuato vassallo quæri, cũ nulli scit priuilegiis innumeris scatere militiam. Ego vero aliud scio atq; assero: nam miles in feudis pro quouis vassallo capitur simpliciter, vt *cap. 2. & 3. eod.* cum feuda propter seruitia militaria instituta fuerint, *c. 1. quib. mod. feud. amitt.* vt toties demonstrauimus.

† Accedit, quod retardatio obsequii debiti & irreuerētia magis afficit militē, quàm 7
priuatũ: nec aliud bellantib. magis cõgruit, q̃ cult' & obediendi propēsio erga superiorem, & solemnitas sacramenti. Vnde scripsit

M. Cato ad Pompilium Imp. exercitus Romani, ne ſuum filiũ honeſtè dimiſſum, rurſus in caſtris remanere pateretur, niſi eum ſecundò ſibi obligaret militiæ ſacramento, vt Cicero retulit *libr.* 1. *Officiorum*, & qui ad edictum nõ reſpondebant milites, olim capite puniebantur; hodie paulò mitius. *l. 4. §. qui poſt. ff. de re milit.* id eſt, quoties dux edixerat, vt quisque militum coiret certo loco in ſuos numeros; nec alia vocatione egebat, vt in mora conſtitueretur *l. ſi is cum. ff. commun. diuid.* ne quis putet inuerti oportere literam illic, vt quidam fecit; in ſummã, quælibet cõtumacia militi aduerſus ducem, capitalis erat. *l. omne §. contumacia. ff. de re milit.* ergo & aduerſus dominum, quem in bellum comitari tenetur, ſeuerius puniẽda venit, quã in priuato negotio: ingratus etenim illi cenſetur, *d. capit. 1. quæ fuit prim. cauſ.* vbi refert Obert. Mediolani curiam indulgentius ſtatuiſſe, ne videlicet anno & die mora vaſſalli plecteretur multatione feudi. ſicut etiam traditur in *capit.* 1. *de capitul. Conrad.* Semper enim clientulis Mediolanenſes remiſſi fuerunt, vſq; ad reprehenſionem, *cap. 1. de alienat. feud.* & hoc fuit eorum operis, vt menſem ſupra annum cliens haberet ad petendam inueſtituram. *d. cap. 1. quo tẽpor. mil.* ſic namq; eum locum intelligo. Verùm Federicus Auguſtus illos ſequi dedignatur, & anno ac die metam petitionis concluſit. §.

præ-

præterea.1.de prohib.feud.alie.per Feder. † Nisi minor annis 14. esset vassallus, vt ipse ait, & incuriam taxat ac negligentiam; ex quo minorem 25. annis sine dubio in integrum restituendum arbitror, licèt ibi interpretes nutent, dum ignorantia quadam non adiuit tempestiuè dominum vel eius hæredem. *l.4.§.fin.ff.de re milit.* Excipitur preterea iusta absentia, mors quoque vassalli, in promptu hæredem non habentis, vel hæredis procul necessario degentis, *l.Pantomimus.ff.de acq.hær.* nam hæredis hæres non habet annum integrum, sed quod anno cœpto deficit, *l.cum in antiqu, C.de iure deliber.* tamen rigore iuris temperato ignoscitur ei, & laxatur tépus, *l.si.C.si pend.appellat.mors intercess.* eò respicit autor in *d.capit.1.quo tempor.mil.* dum *mortis* meminit, quæ nimium imperiosa, ex improuiso diligentissimos quoq; intercipit, ita excusationem affert militi. *l.non omnes.§.qui captus.de re milit.* vel nobis adstipulante Vlpiano. *l.oratione.§ si.de feriis.* 8

† Item inimicitiarum ratio subditur excusans vassallum in *d.cap.quo tempor.mil.inuestit.* si enim sine causa oderit vir potens & audax, vt Henricus VII. Aug. Robertum Sicilię regem, ideo excusatū à Clemente Pontifice, *cap.2.§.nunquid, de sententia & re iudic.* sicut in *§.vassalli.de pace Constant.in feud.* vbi nihil moræ exprobratur vassallis, si tempore induciarum, vel flagrante bello, Cæsa- 9

ri seruitia non exhibuerint; quia sine magno periculo infensum dominũ adire non licet. Idem sentio, si dominus nusquam appareat, ita vt volens obsequi auide, commodè non possit, *l. cum quidam.* § *si pupillo. ff. de vsur.* Itē, si post annum & diem dominus vassallũ humanè reciperet: quia offenso licet ignoscere non sine gloria *l. furti.* § *pactus, de iis qui not. infam. l. post diem. ff. de leg. comm.* *ff.* Idē quoq; sentirem, si, antequā dominus declarasset se feudum propter vassalli morā reuocare, vassallus ingēti aliquo conatu domino profuisset & ita domini clementiā promeruisset. *l. in ipsius. C. fam. hercis.* in quo illud considerabit̃, an antea aliis in obsequiis domino præstò fuerit, & an recēti facinore se purgauerit ante multũ temporis, *d. l. non omnes.* § *à barbaris. ff de re milit.* nec temerè licet damnare militem ignauiæ aut infelicitatis, vt fecit C. Marius consul Rom. questus, quod sibi in Africa asperum bellũ gerēti, quæstor L. Sylla obtigisset molliculus: à quo tandē ipse iusto Marte fractus legitur, vt est apud Valeriũ & apud Suidā. Lycurgus Spartæ legē tulit, vt præclaro facinore aliquo fas esset ignominiā abolere; quæ lex profuit Aristodemo desertis Pyli ordinib. postmodũ verò ad Platæas re bene gesta, in integrũ restitutus est.

10 † Postremò patem cõsuetudine Tolosana impunè cedere vassallo, si mortuo domino ab hærede eius inuestiturā renouari non

postu-

postulet, vel è diuerso, si hęres vassalli dominum post annũ & diem nõ adiuerit, nisi admoneatur vt veniat, & suis partib. obsequii fungatur: quia etiã si per triginta annos nihil homagii seu exigui canonis, quas *oblias* vocant, præstiterit, nec feudũ amittit, nec pręscribit cõtra dominum, vt in *tit. de feud. c. 10.* explicatur. Sicuti põtificum sanctio admittit in cõtractu cẽsuali, *c. constitutus. de religios. domib* nisi quis malit considerare more Tolos. nihil de inuestituræ serò petitæ vindicta remitti; sed de seruitiis & pensiunculis postea domino exhibẽdis, quib. ius lenius & benignius inuenitur, quippe quæ per dominũ posci debent, vt vassallum morę arguat, *§. licet. si de feud. defunct. cont.* Atqui in *d. c. 1. quæ fuit prim. caus.* inuestituram sponte vassallus offerre tenetur, & dominum cõpellare, quasi securè feudi fundamenta iaciat vel instauret. si non velit eodem multari. nec consuetudo derogabit iuri, de quo nihil nominatim cautum seruatumve legitur, *l. quod verò, ff. de leg. b.* Quare fit, vt non inuitus subscribam eorum sententiæ, qui non sinunt annis 30 ex more feudali labentibus, pręscribi aduersus Ecclesiam, fultam lõgiore spacio iure cõmuni. instar Reip. *Auth. quas action. C. de sacrosan. Ecclesiis.* nã cõmunia solent à priuatis administratorib. negligi & publica & sacra, ideò lex eis mirificè auxiliatur. Vnde vice versa Ecclesia libertatẽ solidam feudi nõ

recipiet contra vassallum, citra annos XL. cũ sit cultrix iustitiæ, *cap. 1. de alien. feud.* & iure eo libenter quod in alios statui desiderat.

11 † Quarto loco feudum statuitur armis, sic innuitur *capit. 1. de benefic. fratris.* quando in hostem regis pugnans quis ipsum expulit, & victo vassallo suffectus est. Potuit namq; terram primo occupanti rex donare, propter scelus vassalli proterui Deum vel principem lacessentis, sed saluo iure supremi domini, vt in *cap. fin. §. statuimus de statut. & consuetudinibus in feud.* vnde videtur magis continuari feudum quàm nouè institui. vel potuit rex certæ tantum personæ donare terram alterius subditi improbi, armis expellendi, *cap. 1 de fratrib. de nouo benefic. inuestit.* nemo sæpius hoc exercuit quàm Bonifacius IIX. Pōtifex fiducia dominii, quod in Reges & Cæsares sibi ascribebat, nā nec ignouit Philippo Pulchro Frācorum regi, sed per legatos homagium ab eo exegit. renuentisq; regnum, proscripsit, prout dictabat bilis pietatis illita coloribus. Quinetiam Federico August. deteriora fecit, *cap. 2. de re iudic. lib. 6.* vbi multum queritur de pensione non soluta, ratione regni Siculi, quod D. Petri *patrimonium peculiare* vocat; dignum vtiq; nauta cælesti & præcipuo, cùm vndiq; mari alluatur. Armis quoque victricibus feudum acquiri putarem, si princeps aliquis strenuus alium deditione eiiceret, sicut cùm vassall⁹ statim superauit.

superauit. nam qui victo paruerunt, multo magis parebunt victori, *l. 14. ff. de diuers. & temporalibus praescript.* iuxta foedus clientelae inchoatae, *l. non dubito. ff. de captiu.* vt si regnum Siculum bello alicui quaereretur, Pōtificis Rom. homo diceretur *ligius*, quemadmodum alibi diximus: cùm sit continens insula Italiae, modico freto distincta. *l. notionem. §. 1. de verb. signif.* ergo pars Italiae, *l. insula. de iudic.*

† Sed profectò consuetudo vetus dominatur, si dubitetur quo territorio quibusve finibus vlla terra orave includatur; nec certa definitio praescribi potest. *cap. cum sint. de decim.* maximè in regnis & feudis ingentibus, quę vi armorum & iure mucronis in alias atque alias manus perueniunt. Hinc tota disputatio Iulii Cęsaris lib. 1. de bello Gall. cum Ariouisto, è Germania ab Aruernis Sequanisque accito, cum magnis copiis vt contra Heduos, itidem Gallos auxilio esset, vt accidit, sed multùm calamitosa victoria; cùm Ariouistus rex illis tertiam agri partē ademerit: cumq; Cęsar allegaret Aruernos olim à Q. Fabio Max. superatos, & ideo iustius esse Romanorum in Gallias imperium vt antiquius; gladio tandem rem definiri oportuit, velut arbitrio fortunae, vel Dei potius, à quo omnis victoria & imperium circumagitur. *l. 2. C. de offic. praefec. praetor. Afric.* sicut in priuatorum duellis seruatur iure Longobardo. 12

§. *fin. de alien. patern feud.* sed hoc dicitur humanum iudicium. §. *si rusticus. de pace tenend. & eius viol.* nempe respectu diuinioris, de quo ibi interpres non pauca attulit, desuetudine iampridem obscurato planè in feudorum tractu; quia nihil non bellicum redolet, multa dissimulanda veniunt dominis, si quando vassallus ab alio expellatur. Cui resisti non potest, quid longè deterius contingat, *cap. fi. de feud.* vbi hoc prudenter hortatur Pontifex. aliàs verò exprobrari posset domino, Regi, vel Cęsari; quarè maturè vassallū suū non iuuerit, quē sciret bello ab alio pulsari: vnde genus quoddam feloniæ & amittēdi iuris sui incurrisse videretur, cū mutua vice succurrere debeat, nisi proprietate priuari malit. §. *domino si de feu. defunct. cont.*

13 † Posteaquàm modos quatuor feudi cōcedendi percurrimus, id est, inuestituram, successionem, tempus, & arma deniq;: vtilitas sequitur vassallum, quem feudi definitio vsufructu non desituro potiturum declarauit. Idcirco dubitatur vassallo mortuo, ad vtrū fructus feudales pertineant. si eos dominus vnà cū pręedio reuocet, eò quòd vassallus absq; liberis masculis decessit; an magis sequantur agnatū aut alium hæredem vassalli in feudo nouo, vel in antiquo, si agnatus defuerit, qui lege vocante, succedat, *c. 1. de successiōn. fratr.* de qua re sic definitur §. *his cōsequenter. tit. hic finitur lex, deind. incip. consuet.*

VE

vt si cõtingat feudum ad dominum reuerti, & post Calẽdas Septembres vsq; ad Martias vassallus obiuerit, semestres illi fructus sint domini; sin aũt à Calendis Martii ad principium Augusti tunc ad hæredem vassalli spectent fructus omnino quidam tamẽ, inquit Obertus, quocunq; tẽpore anni decedat, omnes pendẽtes fructus ad dominum pertinere. & hi hoc ita asserebãt, quia fructus pẽdentes pars fundi esse videntur. *l. fructus. 2. ff. de rei vendic.* nec pertinẽt ad bonę fidei possessorẽ, qui est loco domini, *l. qui scit. §. præterea. ff. de vsur.* nec dubito quin cõcessi nouè feudi fructus ad vassallũ ptineant, *l. si pendentes, de vsufr.* qui verisimiliter propter imminentẽ fructuũ collectionẽ sese obstrinxit grauiorib. seruitiis, instar emptoris pluris emẽtis prędiũ, eò ꝙ fructib iã plenus sit, *l. Iulianus. §. si fructib. de act. empt.* tñ vulgò sequimur superiorẽ distinctionẽ: quãuis iuri Rõ. horũ opinio cõsentanea magis appareat, sed à consuetudine superato. itaq; quãuis vltima scripta sit in cõtextu, nõ ideo seruat᷑, vt in §. *similiter. de capit. qui cur. vend. et §. fi. de eo qui sib. vel hæredib.* Quo fit, vt demirer interpretes ꝑcipui nominis, ausos affirmare post Septembrẽ illico fruct⁹ vindemiæ & deinceps oleæ ad vassallũ spectare, nõ ad dominũ, nisi ꝓ sequẽti anno, nõ pro illo quo vassall⁹ morit᷑, qui fundũ laboriosè coluit, cùm, vt aiũt, fruct⁹ non respectu tẽporis quo legunt᷑, sed ꝓ ratione annuæ culturæ debeãt᷑, *l. diuortio.*

§.non solum.ff.solut.matr. nec vident fructuarii illius iure fragili nitentis fructus fieri, in *d.l.si pendentes.* & tamen aliena prouenerant diligentia. prætereà dum ipse moritur primo mense Septembri, non relinquit vindemiam hæredi suo, cùm tamen totò anno vineam foderit, putauerit, propagauerit, atq; fortè iam vuas legerit nondum facto vino, *l. si vsufructuarius.ff.quibus mod. vsusfr. amitt.* non enim omnes tractatus iuris ad hãc rem accommodari pari iure censentur; vtpote quorum singulis ratio dispar subsit, vt in *d.l. diuortio*, fructus dotis maritus capit soluto matrimonio ex fundo dotali, pro portione anni, & pro rata temporis, quo pertulit onera matrimonii, ita vt antea lectos in dotem auctã vertere debeat. *l. dotis fructus. ff. de iure dot.* nihil hoc habet simile cum domino feudi, qui prædium laudabili munificentia vassallo concessit, *cap.1. de feud. dat. in vicem leg.*

14 † Idcirco nõ debet inuidere ei quisquam fructus prædii sui, cum vassallus liberos non relinquat, sed exterum hæredem vel agnatum, coactis lachrymis mœrentem. nam M. Cato in oratione contra Lentulum apud Censores habita, vt A. Gellius notat *libr.5.c.13.* testimonium patroni pro cliente aduersus cognatos recipit, non è diuerso; & Sabinus Iurisconsultus ibidem clientem necessariis omnibus prætulit atque affinibus; tan-

tum

tum abest vt ipsi æquari possit coniugum aliquis tũc, cùm solutum est matrimonium, & dos ad vxorem reuertitur vt rursus nubere commodius possit, *l. 1. ff. solu. matr.* quod si morte dirimatur, idem iuris quidem erit, *l. 1. §. cumq; ex; in fin. C. de rei vxor. act.* cùm non exstantibus liberis, caussari onera matrimonii maritus nequeat; *l. si is qui. §. ibi dos. §. seq. ff. de iur. doti.* meritò itaq; caussam suam mulier præfert omnibus successoribus, etiam liberis propriis. *l. 2. de pact. dotalib.* idq; quandiu viuit: mortua quoq; auellit dotis emolumẽta viro, in quem nec proprietatem reuera transtulerat. *l. in rebus. C. de iur. dot.* nec fructus, nisi vt ipsa simul eorum esset particeps. Quare quod dicitur in *c. 1. de notis feudor.* assimilari necessitudinẽ feudalem coniugio, non vetat quin arctius tenetur vassallus domino, à quo irreuocabiliter feudum & eius prouentus omnimodo accipit: proinde etiam atque etiam strictius deuincitur benemerẽti. *l. 3. §. vtrum, in fi. ff. ad Syllanian.*

Sed quia alibi de fructibus copiose discepto, nunc quæram libenter à doctoribus vel ab iis qui dediscere ea quæ maledocti fuere, recusant; Nunquid nõ putent iniquius esse feudum domino adiudicari Calendis Martiis, morte vassalli liberis defecti, cũ in herbis frumenta sint & quædam legumina læta spe, atq; interim vassalli hæredem messe tota locupletari, & ita fructus pẽdentes à præ-

dio separari, cuius quidem pars quædã sunt, quàm post incœptum Septembrem pẽdentes vuas & oliuas postea feudo suo cohærere, & dominum sequi? maximè, per Iurisprudentiam, cùm vassallo imputari possit, cur non hęredi suo prouiderit potius, quàm domino morte opportuniore, sicut colono intempestiuum factum imputatur. *l. si merces. §. conductor. ff. locat.* at, dices, Ridiculũ istud est; cum mors inopina cunctos inuolet, nec magis illam vllo tempore quàm loco possis excludere; huic ego: Ergo cùm mors tã dominos quàm vassallos opprimat ex improuiso, vtriq; boni consulere debent, quicquid alea attulerit, cùm reciprocum versetur periculum. *l. de fideicommisso. C. de transact. l. emptorem. §. fi. ff. de acti. empt.* nęc nouum est, vt morte intempestiua alterius lucrum aliquis consequatur, *l. diem. ff. locat.* & vtriq; sine vllo labore vel industria: quocirca semestri reditu vassallus cum domino fructus feudi partitur, & illi Martius propter hæredis curã destinatur; huic vero Septẽber; ideo particula, *vsque*, includit Augustum mensem; de qua, ne dubitatio superesset, Obertus id amplius refert in *versic. si verò post Augustum.* nec rarò solet includere *l. 2. ff. de iis qui notan. infam l. 1. §. fi. de verb. oblig.* Illud autem

15 manauit ab † antiquissima ratione, vel verius cõtrouersia, cùm alii mundum Martio mense creatum asseuerent, propter herbarum

rum & florum pubem; alii Septembri, propter fructus maturos & perfectionem operis diuini: illis opitulatur, quod annus olim fuerit decem mensium, à Martio incipiens: vnde septimo inditum *Septembri* nomen; & quod tūc sol primum Arietis signum in circulo cæli zodiaco ingrediatur. deniq; quintus ab hoc fuerat *Quintilis*, inquit *Ouid. lib. 3. Fastor.* nūc est mensis Iulius. Plura omitto, quæ modò nō minus viderentur infructuosa, quàm explosa à nobis, doctorū hactenus approbata sententia super diuisione fructuū in feudis. Sanè eò decursum est ab omnib. vt fructuarius fructus relinquat hæredi suo, iā perceptos à colono pro rata temporis, quo durauit vsusfructus in prædium alienū, licèt tardiùs solui deberet pēsio pro reditib. à colono, & quidē mortuo fructuario; quo viuo, colonus iam fruct⁹ coëgerat, & ita illi prorsus affecerat eosdem sedulitate sua, tum segetes, tum vuas inclusas, vsq; ad calēd. Octobres; cùm pensio mercedis ex pacto Nouēbribus tantum soluenda veniret: has verò mors fructuarii præcesserat, *l. defuncta. ff. de vsufruct.* cùm, vt dixi, de pendentibus nihil hæredi debeatur. aliter si annua pręstatio relicta sit, quæ transit ad hæredem legatarii mortui post annum semel inchoatum, *l. a vobis, de annuis legatis.* idem in stipulatione, *l. 18. §. final. de stipul. seruor.* † Igitur si episcopus moriatur, vel alius sacris addictus 16

cũ reditu, fructus pẽdentes ad hæredes eius non pertinebunt, sed ii qui à conductorib. iã percepti sunt: cùm similis fuerit fructuario: quin potius in perceptis nihil iuris hæredes habebunt, sed pauperes vel fabrica Ecclesię: quoniam defunctus instar dispẽsatoris fuit, ex consilio Martini Papæ, agnatos episcopi reiicientis, *can. episcopus*, 10. q. 2. & in concilio Carthaginensi *pauperum procurator* appellatur episcopus, seu canonicus, *can. episcopus*, *14. q. 1.* ita vt in foro illis litigare queat, non sibi. Ergo defensor sacer domini loco est. quodammodo etiam procurator; quia paulò plus est, *can. fi. 12. q. 1.* idq;, dum res pauperum officiosè administrat, non dum eos expoliat. *l. qui fundum. § tutor. ff. pro emptor.* ideoq; aduncum baculum ferre consueuit, vt se pastorem intelligat, non lupum grassatorem: cùm officii sui negligens, propter quòd emolumenta accipit, beneficio priuari mereatur, *cap. 1. de vassall. mil. qui arm. bell. c. cleros. § episcopus, 21. dist.* sanè clerici de iis bonis quæ sibi à moribus suis vel artificio non vetito prouenerunt aliũdè, quàm ab Ecclesia, liberè testari possunt, *cap. quia nos, de testam.* nunc de omnibus promiscuè quęsitis testantur, per me illis licet, vt possim meliora feudis perscribere imposterum; non emori, dũ pontificia autoritate fulcior: & dum pauperibus opes suas restitui nimis studeo, iuxta *l. 2. C. de episcop. & cleric.* quin potius sacerdotibus

tibus opulentis benè consulo, vt eò diuturniores sint ipsis fortunæ, quò iustiores.

† Videamus quid sentiendum de incrementis feudi, an sint ipsius vassalli vel hæredum eius, an potius domini, ad quem feudũ reuertitur: quòd magis videtur. imo amplius, vt viuo vassallo incrementum non sit eius, sed dominum sequatur. nisi expressè vassallus sibi pepigerit fore, vt incremento simul potiretur. §. *si quis de manso, si de inuest. feud. controuers. fuer.* Si modo, inquit, dominus in ipsa certè aliquid reseruauerit sibi, alias vassallo accedet quicquid increuerit quã distinctionem probo in incremento extrinsecus apparẽte fortuitu; vt quia insula in medio flumine prædiis feudalib. finitimo emi-nuit; secus in latitante. libet enim Celsi Iuriscõsulti verbis vti, qui exemplum alluuionis posuit in *l. item si, §. sed si insula ff. de vsufr.* proinde alluuionis adiectio vassallum prosperabit tantisper dum viuet, & hæredem, ipsius ad dominum si quando ad illum feudum redierit. 17

† Quid verò dicemus de incremento oborto opera vassalli, vt quia in fundo nobili prætorium impensè extruxit, vel fontẽ procul deduxit, vt irriguum & fœcundiorem faceret? tunc patiatur meliorationes auferri, aut soluat pretium. *§. si vassallus. hic finit. lex, deinde incip. consuet.* Idem dico si pretio seruitutem acquirat, inquit Obertus ibidem; 18

licèt nonnulli frustra obstrepant. Primo itaque loco de ædificio disceptemus, quia in *l. 19. ff. de vsufr.* dicitur inędificatum ab vsufructuario, nec tolli ab eo, nec refigi posse. sed nihil obest: quia eiusmodi vsufructuarius præuidere potuerat morte sua, saltē ius suū finitum iri, *l. si quis domum. §. idem quærit. ff. locat.* sed vassallus fretus vsufructu perpetuo, non id debuit pręuidere, sed proli suæ masculæ æternùm cauere: quasi præter opinionem caruerit, feudum ad dominū reuertitur, cùm sit nouum, deductis factis à vassallo meliorationib. & hæredi applicatis. Scio in hac re trepidare Accurs. sed nos rei veritate firmamur. Nā quod obiici potest imputandum vassallo, quod in re aliena sciēs prudensq; ædificauerit, huc nō pertinet: quia si vsumfructum habebat perpetuum, impunè ædificat in eo instar domini, cū liceat ei, inquit Obert. in § *è cōtrario. de inuest. de re alie. fact.* rem meliorem facere, non deteriorę, vt & emphyteutæ; *Auth. qui rē, de sacros. eccles.* & quidē multo magis quàm colono paucorum annorum, *l. dominus. §. 1. ff. locat.* accedit, quod vassall⁹ ædificat vel vineas nouas instituit ex verisimili consensu domini, qui lætatur, cùm videat vassallum auctiorem & idoneiorem aliquando futurū ad impendia militiæ non minima, propter prædium pretio & culturâ excellens. non. n. aliò respicit feudi reditus, *ca. 1. de prohib. feud. alien. per Loth.*

sic

ſic nõ officit §. *certè, de rer. diuiſ.* & eò procliuior ſum in hanc ſententiã, quòd vaſſallus & emphyteuta cõparantur bonæ fidei poſſeſſorib. *l, qui ſcit. §. pe. ff. de vſur.* vel potius ſunt plus quàm bonæ fidei poſſeſſores, cùm quãdiu fungantur ritè ſuo munere, ab ipſis prædiũ nõ auellatur; at bonæ fidei poſſeſſor domino vero repoſcẽti nihil habet quòd obiiciat, *l. officium, ff. de rei vendic.* quod ſi tã magnificè extruxiſſet vaſſallus, vt dominus propter tenues facultates nõ poſſet luere ſumpt⁹ ædificii, vel de illo tã operoſo nõ potuerit cogitare, nõ putò omnes prorſus reſtiturũ, *l. in fundo. ff. eod.* eò ꝓpenſius, quòd neceſſitudo vet⁹ domini & vaſſalli idẽ ſuadet, nec modicas impenſas curabit iudex, *l. omnino, ff. de impenſ.* vtor. n. exemplo cõiugii circa feuda, *c. 1. de notis feu.* vbi quoq; indecorũ eſt egentẽ videre illũ, quẽ prius amicũ cõiugẽq; habueris: & Crœſi Lydorũ regis fortuna ſatis declarauit nihil opulentiâ volubilius eſſe. Et hoc locum habet, vbi ſine offenſione reuertitur feudum ad dominum, ſecus putem ſi ob feloniam vel alienationem à vaſſallo admiſſam: quia & hâc dominum contemnere cenſetur, §. *fin. quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt.* id probo ex *Auth. qui rem, C. de ſacroſanct. eccleſ.* vbi de emphyteuta Eccleſię agitur expulſo propter non ſolutam penſionem biennio. ergo verius idem obtinebit in felonia commiſſa cõtra dominũ laceſſitum

& Ecclesia seueriorem, *§. pen. de alien. feud.* Planè si vassall⁹ nõ in solo fundi aliquid melius molitus esset, quòd eum pretiosiorem faceret, sed à latere prædium aliud adiunxisset, quod rursus à feudali sulco vno facilè secerni posset, durum credo hoc domino, quãuis offenso, lucrifieri. *§. è contrario, de inuestitur. de re alien.* nam nec additum feudo prædium homagium domino deberet, sicut nec eadem nobilitate censeretur, postquàm nec inuestitura, nec successione, nec tempore, nec armis deniq; nititur, *§. pe. quis dicat, dux, march.* nec sola vnius voluntas in feudo pollet, licèt aliter in *l. prædiis. §. Titio. de legat. 3.* propter morientium imperiosas voluntates, quoties suum quipplum largiuntur.

Transeundum est iam ad eas adiectiones in feudum factas à vassallo, quæ, vt Obertus ait, nequeunt per se subsistere, vt seruitus, *d. §. è contrario, de inuest. de re alien.* vbi eam addicit domino, ad quem feudum reuertitur, non agnatis vassalli defuncti; sed cùm temperamento, vt arbitror, sumpto ex *d. § si vassallus. tit. hic finitur lex.* vt si vassallus emisset seruitutem, dominus refundat pretium hæredibus eius: si verò gratuita pactione vel legato lucratus fuerit, nihil à domino repetatur, à quo æquè gratis feudum acceperat, vt plurimum assolet. *cap. 1. de feudo dat. in vicem leg.* & vltro ei donaturus præsumitur, *l. si vero non, §. inde Papinian. ff. mandat.* & seruitus liben-

libétius hæret feudo, cùm sit qualitas. *l. quid aliud, de verb. signific.* nec per se subsistit sine subiecto, licèt temporis cursu tenere eá velimus, *l. si aliena.* §. 1. *de vsucap. ff.* at cùm empta vel permutata est, id quod pro ea impẽsum est pretii vel æstimationis corporeæ cõsideratur, *l. quia qui, ff. de vsufr.*

† Sed an seruitutem imponere possit feudo vassalius, qui perpetuò id habiturus est? & magis est, ne possit. quinetiam satis benignè cùm eo agetur, si non priuetur feudo, cùm tali alienatione contempserit dominũ. §. *fin. quæ fuit prim. caus. benefic.* nam alienat is qui seruitutem imponit, sicut & qui quæsitam amittit, *l. Iulianus, de fund. dotali. ff. l. eg. fi. C. de rebus alienis non alien.* Cæterum vassallus ex consensu domini seruitutem prædio rectè cõstituet, vicinis etiam nociturã, qualis est viæ vel itineris. nec mouet me, quòd vsufructuario non opitulatur proprietarii consensio in ea re, *l. sed & si quid.* §. *fin cum l. seq. ff. de vsufr.* quoniam vassallum ipsiusque successores ius perẽne sequitur, quale amãt seruitutes prædiorum, *l. foramen. de seruitut. vrb.* neq; in diem certam vel incertam constituũtur, *l. 4. ff. de seruit.* alioquin extinguũtur cum persona, vt ibi enucleaui penitus. Atqui vsusfructus cùm eadem perit, velut in diem incertam, mortis saltem, datus: sed seruitus vsufructuario innoxia rectè prædio imponetur assensu domini, qui eãdem per- 19

petuo tuebitur, qualis est altius non tollendi, *l. nisi, ff. de vsufr.* quia neutri tollere licuit, *l. aequissimum §. inde Nerua. ff. eod.*

20 † Certè quæuis seruitus vtriusq; voluntate imposita, prędium omnino onerans, illico degenerat in ius personale morte acquirẽtis desiturum; sed tantisper dum viuit, ei tolerabile, vt perfidia vitetur eorum, qui quatenus possunt, permittũt *d. l. 4. de seruit. l. per fundum. de seruit. rust.* itaq; nomen seruitutis inditum fuit eiusmodi iuri; quę tamẽ effectu vero caret. *l. pecoris. ff. eod.* vt in *l. insulã, ff. de præscrip. verb. l. sic intelligi iubeo, d. l. sed & si quid, §. fin. de vsufr.* iuuat aliquantulum *§. fin. de capitul. Conrad.*

CAP. IX.

De apertura feudi ex felonia vel negligentia & aliis modis: &, de bello in quod sequi dominum vassallus debeat iusto vel iniusto: &, de desertione eiusdem interdum excusabili.

NOTABILIA.

1 *Quando dicatur feudum aperiri domino: & quod partim culpâ, partim defectu hominis, ac quandoq; simul, aperiatur.*

2 *Agnatis quoq; feudum, quemadmodum domino, ex delicto aperiri.*

3 *Felonia & aliis praeterea modis aperturam fieri, licèt vassallo sint liberi: quid sit felonia,*

lonia, & quam sit odiosius proditor.
4 Feloniã à domino etiã cõmitti; &, vnde dicta fuerit: atq; cur Oberto egregia dicatur.
5 Pro leuiore culpa priuationem non fieri: & temeritati ignosci.
6 Quare negligentia vassalli puniatur, & qualis, vt secreti pariter reuelatio, alibi impunita.
7 Si non seruentur pactiones feudo instituendo adiecta, quamuis superuacanea, priuatur vassallus.
8 Quod si cesset vassallus à solutione pensionis feudo nonnunquam adhibita, instar emphyteuticos, an priuetur.
9 Quando obligetur vassallus comitari dominum in bellum euntem, seposita iusti belli vel iniusti distinctione: &, quod iustitia bella induxerit.
10 Regis prudentia plura dissimulat vindictam poscentia, ne maior tumultus increscat, Iustiniani Aug. exemplo ac periculo.
11 An bellantem dominum vassallus quòcunq; sequi cogatur, cum differentia offensionis vel defensionis, & rursus de belli iusti vel iniusti delectu.
12 Dominum in prælio deserere feloniam sapit: quid in rixa priuata; vel in scelere deprehensum.
13 Mutilus aut ex vulnere iam non amplius auxiliari domino valens, excusatur, vel si mortiferè vulnerato non adsit; qui fuerint Soldurii in Gallia.

14 *An salutem domini vassallus, sicut seruus praeferat, & filium suum iniurium domino offerat.*

15 *Contra se ipsum & contra omnes num iuuet bello dominum, & maximè si dubitetur de belli iustitia.*

16 *Quid si dominus in praelio derelictus à vassallo perinde euaserit, an similiter vassallus priuandus veniat.*

1 † APeriri feudum domino dicitur, quoties ad ipsum reuertitur, à quo, vel à cuius maioribus infantiam quandam originemq́; accepit; vt cùm vassallus decedit sine haerede masculo, vel sine agnatis, nempè in feudo antiquo: nam in nouo dominus agnatos post se centum passibus relinquit, vt ad nauseam vsq; inculcatum est superius *cap. 1. de clerico qui inuestit. fecit. §. morib. si de feud. defunct. content. sit inter domi. & agn.* eodem modo aperitur offensa aliqua, si fortè, verbi gratia, vassallus feudum alienet, *cap. 1. in fin. apud quem vel quos feud. controuers. definiat.* vbi erat illicita alienatio contra prohibitionem Lotharii, vt tandem sensit Accursius: &, quòd adiicitur in textu, vassallum sine haerede decessisse, ex abundanti adiectum est; quasi duplici apertura concurrente, cum altera sufficeret, vt in *l. liberorum. §. 1. ff. de iis qui not. infam.* & hoc erit frugiferum intellectu, si prius alienet vassallus, mox mortem obeat sine haerede, vel haeres eius postea orbus

bus similiter obiuerit, dum ipse vassallus viuus non pulsatur à domino ob cõtumeliam inconsultæ alienationis non vulgarem, §. *si. quæ fuit prim. caus.* nã dominus eliget ex qua causa malit sibi pandi fores feudi, saltẽ priorem obiiciet: atq; culpam (nisi malit defuncti manibus ignoscere) exprobrabit, *l. qui iniuria. ff. de furt.* atq; ita, hercule, cõsequetur, vt feudum recuperet, nec soluat hæredi vassalli impendia ædificii in prædio feudali positi, aut alteri⁹ meliorationis; eò quòd lacessiuit dominum defunctus, *Auth. qui rem, C. de sacros. Eccles.* aliter atq; si sola morte de reduct. feudo discreptaretur. §. *si vassallus. hic finit. lex; deinde incip. cõsuet.* Hæc veteres mecum libenter fassi fuissent, si quidem apertè illis innotuissent ex his commentariis.

† Tertiò aperitur feudum domino pleno delicto vassalli, quod dominum incessit. 2
nam si alium, quàm dominum vassallus delinquens læserit, agnatos sequitur feudum, atq; iisdem æquè dicitur aperiri, *cap. vnic. si vassall. feud. priuetur cui defer.* non soli igitur domino apertura cõgruit, sed prætera cuique, in quem redundat commoditas.

† Sciẽdum autem est aperiri feudum variis modis, quamuis vassallus filios reliquerit. nempe felonia, alienatione, quæ & ipsa nonnihil offensæ sapit, sicut dixi. Item infitiatione, deinde refutatione, & personæ casu aliquo, seu defectu, iuxta *titul. an mutus* 3

vel alias imperfectus feud. amitt. Feloniã voco delictum insigne aduersus dominum cõmissum, vel aduersus agnatos. aut exterum aliquem, *c. 1. an ille qui interfecit fratr.* vbi ad feudi priuationem requirit autor delictum, quod ita detestemur, vt in curia esse vassallo non liceat; sicut si hominem tradiderit: nam & ipsa proditio inuisa est iis quibus prodest: vel certè si ꝑditio ametur, odio est ipse proditor, vt testatus est Aug. Cæsar de Rhymetale, rege Thracũ, qui ad se ab Antonio trãsfugerat, teste Plutarcho. nec est quicquam notius quàm in milite proditionis labẽ pro-
4 brosam maximè censeri. Felonia † tertiò, vice versa, est delictum cõtra vassallum à domino commissum, *c. 1. qualit. domi. propriet.* sed vtcunq; impropriè, § *fi. si de feud. defunct. content. sit.* Ergo felonia propriè est infidelitas, cùm violatur sacramentum, §. *fi. de alien. patern. feud.*

5 † Felonia verò, verbum Gallicæ originis, *crudelitatem* notat: nam *felonem* Galli crudelem dicunt ideo, quod non quæuis offensa repellit vassallum à feudo, nisi insignis sit, &, vt Obertus ait, egregia, vulgoq; pro non mediocri habita, *capit. 1. vers. de illa. in quibus caus. feud. amittat.* vbi Zasius laborat, vt *egregium* pro præcipuo, tam in laudem, quàm in vituperium vsurpari demonstret: cùm autor ipse figuratè se loqui patefaciat; vt ita dixerim, inquit, ostendens egregium:

alias

aliàs ſceleribus non conuenire propriè, vt nec beneficium, cùm pro fraude iacturaq; capitur. *l. inter. de furt.* vbi beneficio furis res abeſt; &, ne quis peruertat veterem lectionem, eodem modo videbit ſumi in *l. ex damni.* §. *1. de damno infect.* idque ab eodem Vlpiano, nec renuente Accurſio, qui beneficium pro maleficio exponens, addit *l. fratres. C. de inoffic. test.* cùm enim verba felicis ſignificationis delictis iniuriisq; adiunguntur, neceſſario degenerant.

† Proinde egregia ingratitudinis cauſa inſignẽ & contumeliæ plenam ſignificat, cùm pro leui non amittat feudum vaſſallus: cùm pro qualitate perſonarum. præterea iudex de ea re ſtatuere debeat, procliuior ſemper ad abſoluendum, quàm ad condemnãdum, §. *ad hoc. hic finit. lex*; *deinde conſuet.* nam quantò eſt clarior dominus, quantoque vaſſallus inopia & obſcuritate domus magis premitur, tantò creſcit vindicta legis exacerbatæ, *l. ſed ſi vnius.* §. *quædam. ff. de iniuriis. l. aut facta.* §. *perſona. de pœnis.* planè iniuria vaſſalli in dominum atrocior eſt quàm alterius nullo beneficio obſtricti, *l. capitalium.* §. *omnia. ff. eod.* acerbum enim eſt lædi ab eo, à quo officiũ accipi decuiſſet. nec aliud puto innui in *d.* §. *ad hoc.* ſed tãtum cõpeſci ſuperbiã, *cõmune nobilitatis malum*, vt ait Saluſtius in Iugurthino; non ego, ne pro leuibus noxiis audiãtur domini feudũ reuo-

caturi. nam & temeritati ignoscitur & sola iudicis admonitione coercetur, *l.1. § quari. ff. ad Turpilian.* quod si plus quàm temerarius fuerit vassallus aduersus dominum, poterit aliter multari arbitrio iudicis manente feudo, *§.in summa. de iniur.* vt, verbi gratia si manum extulisset perterrés dominum quasi vapulaturum, *l.item apud. ff. eod.* nam Prometheum, qui Ioui fucum fecerat ossibus adipe candido tectis, vt est in fabula; alius è culina salignis virgis eiecisset, non Caucaso monti alligasset, ne pœna crimen centum vlnis egrederetur. Ex quo permirũ est, vassallum ob solam negligentiam priuari feudo. *§.item qui.quæ fuit prim. caus.benef.amitt.* nõ enim certiorem fecerat dominum, cum tempestiuè posset de insidiis exitialibus cõtra ipsum instructis, & quæ postmodum secutæ sunt cum pernicie personę dominicæ vel facultatum; & quidem ita nunciatio facienda fuerat, vt liceret impendenti malo occurrere celeriter, *l.aut qui. §.1.quod vi aut clam.ff.*

6 † Cur autem negligentia adeò seuerè hîc puniatur perinde ac fraus, in causa fuit vassalli ipsius sacramentum & promissio solennis de ea re nominatim factà, vt si quidem sciuerit moliri aliquem damnum domino, sedulò nunciaturum, *capit.1. vers. ego iuro. de noua forma fidelit.* ita vt non sufficiat abstinere à malo, nisi fiat id quod bonum est, *§.pen.*

de

de form.fidelit. aliter si furem sciuero alicubi celari, qui rem tuam subtraxit, nec detego, dummodo ipse non celem, *l.1.§.qui furem. ff de furt.* impunè hoc facio, laudandus, si tibi indicassem à theologis & philosophis, qui hominem homini prodesse oportere, norunt lége quadam naturæ; sed non ciuili necessitate: quoniam nulla peculiari necessitudine tibi deuincior præter generalem humanitatis. Ergo in patre & liberis seruaretur aliud, *l.qui liberos.ff.de rit.nuptiar.* vbi otium redarguitur & damnatur. sic à D. Ambrosio laudatur Moses, qui *Exodi cap.2.* dum vidisset Hebræum ictum ab Ægyptio contumeliosè, hunc interfecit; cùm quisque à socio iniuriam propulsare teneatur fœdere quodam humanæ coniunctionis. *can. non inferenda, 23. q. 3.* multa alia in vassallo puniuntur, inulta in reliquis personis; vt, si secretũ domini, arduæ scilicet rei, reuelauerit iniussu eiusdem, *§.pen.de noua form.fidel.* sed alius vix puniretur, cùm socio imputandum veniret, quod arcanum deposuisset apud plenum rimarum hominem. *l. socius socio.ff.pro socio.* Quare similiter feudum amittit, qui domino coniurationem nõ detegit, & perfidiæ luit pœnas ex culpa sola; quæ, quoties præcedit ingens damnum, damni censetur opifex, si potuit obsistere. *l. qui occidit. §.in hac, ff.ad leg. Aquil.*

† Prę cęteris causis ob quas feudum amit- 7

titur, excellit illa, cum vassallus hoc seruitiũ facere recusat, propter quod obtinuit beneficium, §. *sed non est. quæ fuit prim. caus. benef.* ita demum si expediat domino vassallum accersiri: nam imperioso sine ratione impunè non parebitur, § *fin. de feudo sine culp. non amitt.* Sic video iure cõparatum, vt donatio reuocetur, si donatari⁹ pactiones appositas iuxta eam non seruet. *l. fin. C. de reuoc. donati.* quod porrigo ad eas pactiones, quæ feudo adiiciũtur vltra belli causam: &, vt semel dicam, vltra cõtractus naturã, qualis est, vt vassallus vxorem comitem sibi ducat dum reb. sacris operatur⁹ sit, § *si. quid sit inuest.* quia sine illa pactione fundamenta feudi iacta nõ fuissent, *l. si venditor. §. fin. ff. de seruis export.* per se verò talis conuentio fomento firmi contractus destituta, vanitatisq; plena reiiceretur, *l. pen. ff. de pact.* quia alibi contendimus societatem quãdam coiri feudo, & cõiugium, §. 1. *de notis feudor.* aut vinculum lõgè dignius fraterno. § *si. hic finit. lex. l. verum. ff. pro soci.* ergo infamia comitabitur vassallum perfidum. *l. final. C. ex quibus caus. infam. irrog.*

8 † Quid si præter militiæ obseruantiæque causam, pensionem vassallus promiserit, nec soluat triẽnio, num instar emphyteutæ priuetur? *l. final. C. de iure emphy.* nam & feudò pensiunculã accedere superius ostendimus, sed more magis quàm scripto iure feudali:

eoque

eoque ventum Tolosæ, ne vlla mora, licèt longissimi temporis vassallo feudum extorqueat; cui obiter incumbit onus *oblias*, vt vocant, obliuioni nimirum renitentes, soluendi. nam principaliter feudum in nobili obsequio consistit, non in vili denario vel soldata. §. *pen. quis dicat dux, march.* contrà vero emphyteusis accipientem locupletare tãtum contendit opimis reditibus. Sed prætereà emphyteuta nobilioris domini, id est, principis, plus iuris habet & plus indulgentiæ si cessauerit in canonis solutione, quàm alius quilibet. *l. final. de fundis patrimon. libr. 11. C.* non abs re in *d.* §. *sed non est*, Obertus scripsit nullam iustiorem esse causam feudi perdundi, quàm si vassallus seruitium promissum non præstiterit, de pensionis emolumento securus. Nec video cur primarii doctores inter antiquos, textum illum ad pensionem quoque spectare putauerint, longè profectò à seruitio distantem, nec feudis satis familiarem. Quinetiam si concedamus seruitii nomine comprehendi pensionem, iam vassalli res in tuto erit, licèt totis 20. annis vel pluribus non soluat eam. quippe qui nunquam seruitium præstat domino, nisi rogatus ab eodem, §. *licet. si de feud. defunct. content.* aliter atque in emphyteusi, *l. 2. C. de iur. emphyt.* nam dies vltima triennii in mora inexorabili constituit debitorem. Denique iuuat

vassallum tardius soluentē, quod Bonifacius Pōtifex alioquin satis iracūdus, & qui, vt ante dixi, regem Francorum Philipp. Pulcrum diris execrationibus prosecutus est, & pro regno Siculo in contētiones maximas contra Federicum Aug. venit; nihil tamen huic obiectat in *cap. 2. vers. posset. de re iudicat. libr. 6.* nisi quod ob pēsionem nouenni cessatione & hoc amplius dilatam, posset etiam meritò reprehēdi. Quare ex particula, *etiam*, satis innuit alias rationes affatim subesse, quare regno Siciliæ priuandus venerit, & hanc solam reprehensione potius, quam multa quacunque dignam censeri; cùm pleraque reprehendantur iure, quæ nihilo magis puniuntur. *l. 7. §. ad tempus. ff. de interdictis.* maximè in feudis, *§. ad hoc. hic finit. lex, deind. consuet.*

Modò descēdimus in certamen, & in mediam aciem irrumpimus, de bellis acturi, & in iis ipsis vtcumque exercitati, forte paulò plus quàm quisquam eorum, qui de feudis scripserint; adeo tepidè multa tradidere, vt solent qui à cæna hostes quosuis ad focum vel in hortis deambulando superant, lingua nimirum strenui: & quia nouere vassallum in bello iusto domino subuenire oportere, non in iniusto, *cap. 1. hic finitur lex*, toti sunt in belli iusti causis describendis.

9 † Nec definiunt generaliter, omne bellum videri iustum quod ab eo geritur, qui

sup e

ſuperiorem non agnoſcit, ſicut ego aſſero & ibi Obertus indicat, tunc iuſti iniuſtiq; belli diſcrimen faciens, cum rex eſt ſuperior, à quo ſubdit vaſſallum bannitum reſtitui poſſe. Sed ſi rex Franciæ belligeraret, nemo ſuæ ditionis quicquam præter eius voluntatem debet inquirere; tum, quia in cauſa propria ipſe iudex exiſtit, *l. proxime. de iis qui in teſtament. delent.* tum, quia occaſio rapienda eſt in re militari feriarum experte. *l. diuus, ff. de feriis.* οὐκ ἔξεστιν ἐν πολέμῳ δὶς ἁμαρτάνειν, id eſt, *nõ licet in bello bis peccare*: inquiebat Lamachus apud Stobæum, dum præfectum manipuli reprehenderet, occaſioni non ſeruientem, ſed permittẽtem ſe meliora facturum. Proinde dum de belli iuſtitia diſputaretur conſultando, rex ſępe interciperetur, nec vnquã regni metas amplificaret, vel antiquas tueretur. accedit, quod rex iuſtè ſemper agere quiduis præſumitur, habita relatione ad id quod facere eum expedit, *l. pen. ff. de iuſtit. & iur.* & placitum ei⁹ publicum præſertim pro lege eſt, *l. 1. de conſtit. princip.* vnde excuſat D. Auguſtinus iuſtos milites ſub impio principe merentes, ſub cuius conſilio autoritateq; belli ratio inſidet à nemine amplius diſquirenda, *can. quid culpatur 23. q. 2.* quod teſtimonium veteres quoq; induxere interpretes, ſed ad regem ſupremum, non, vt decuit, retulerunt, neque ad belli originem ex iuregentium deductam, *l. ex hoc, ff. de iuſtit. &*

iur. quando bellum incœpit contra ferinos quosdam homines societati humanæ infestissimos & tyrannide immani eandem opprimentes, ex quo Mars Græcè appellatus fuit Ἄρης, παρὰ τὸ ἀρήγειν, hoc est, à *succurrendo*, vt notat Philo Iudæus in *libro de legatione ad Caium Aug.* Quinetiam bella diuinitus excitantur in vltionem scelerum, vt pestis bellica interimat, quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant, vt Gregorius Pontifex scripsit ad Francorum reginam Brunichildem. *can. si quos. 23. q. 4.*

Cæterum Christiani milites stipendia fecere permulti sub Iuliano Augusto apostata, qui alioquin aduersus veram pietatem fuit acerbissimus; adeò, vt ciuibus cultum cælestem sectantibus, impunè iniurias fieri sineret: *Vestrum est ferre cùm afflictamini, iuxta Dei vestri præceptum*, inquiebat ipse, vt Socrates narrat *libro 3. historiæ capit. 14.* sed cùm contra Christianos belligeraret, tunc pii milites agnoscebant imperatorem cæli, vt D. Ambrosius retulit, *can. Iulianus. 11. q. 3.* quibus accedit, quòd domino excommunicato vasallus non parebit, *d. capit. 1. hic finit. lex.* vsqueadeò religioni pii viri nihil nõ tribuunt. Itaque, vt ad institutum redeam, vasallus in bello iusto cogitur præsto esse domino, cui licuit mouere procinctum Imperatore vel rege suo permittẽte, vel ex cõ-

suetu-

ſuetudine. quod in Gallia vix locũ haberet, non magis quã antiquitus in imperio Rom. *l. vnic. vt armor. vſus inſcio prin.* & maieſtatis læſæ reus erat, qui delectum tyronum aliorumve militũ cõquiſitionẽ habuit, exercuit, bellũve geſſit, iniuſſu principis, *l. 3. ff. ad leg. Iul. maieſt.* ratio eſt, quia bellũ gerere neceſſitatis eſt, vt pax acquiratur, inquit D. Auguſtin. *can. noli. 23. q. 1.* vnde ſolet bellũ iure feciali indici hoſtib. eò quòd iuſtitiã declinẽt, & pergant proterve atq; iniurioſè inſurgere vel laceſſere, *l. hoſtes. ff. de capt.* & Deuter. *c. 20.* iubetur dux belliante obſidionem ciuitatis hoſtilis eidem offerre pacem. Vnde Carthaginenſes Q. Fabio legato Romanorum obtulere duas teſſeras, quarum altera notã belli haberet, altera pacis, vt vtrã mallet eligeret: ſed is vtramq; ſubſtulit, dicens, Offerentes potius debere eligere prouocantib. Romanis, *l. 2. §. deinde Q. ff. de orig. iur.* atq; ſi duo Comites Ducesve in regno velint exercitũ comparare ſimul hoſtiliter pugnaturi, iã offendũt regẽ cuius iudicio lis poſſit dirimi, *c. 1. apud que vel quos cõtrouerſ.* & cuius eſt propter bellicã expeditionẽ tributũ exigere, *c. 1. quæ ſint regal.* & hoc expreſſim definit in *§. ſi. verſ. ſi miniſteriales. de pace tenẽd. et eius violat.* vbi pro conditione vaſſallorum arma inuicẽ ſpirantium mutua clade iudices à rege dantur, cuius perſona excipitur in omni iureiurando fidelitatis, *capit. 1. de noua form. fidel.*

ideoq; diligenter expendendum est, quatenus dux aliquis vel comes maiestatem regiā venerari teneatur, *l. non dubito. ff. de captiu.*

10 † Succurrit, quod prudentia regum illa est, vt offensiones multas dissimulent ab iis nobilibus illatas, quib. satis pro arbitrio ius dicere ac imperare nequeunt, vt Federicus Aug. mitis erga Opizonem Marchionē, §. *sententia. de pace Constant.* adeò vt in §. *vassalli*, ignouerit illis vassallis, qui belli tempore homagium non præstiterant, & inter repugnantes steterant, communem fortunam aliorum ciuium secuti, feudum nihilominus retinentes. multa namq; satis aspera tolerātur inconsulto principe, cùm tumultus aliter sedari non potest, *l. qui cædem. ff. ad leg. Corn. de sicar*, vt meritò dixerit Publius Syrus: *Feras, non culpes, quod mutari non potest.* nam nō posse id quemquam dicimus, quod sine damno assequi nequit, *l. ædiles. 2. §. fi. ff. de Ædil. edict.* ita Pōtifex in *c. fi. vers. alia cōniuet vassallo, qui feudū quoquo modo recuperet, quod Ecclesia à potētiore extorquere nequibat.* metuendū nāq; regi supremo venit, ne, dum subditi de venia desperant, vel ad hostem transfugiant, vel ipsi hostes se prębeāt, & inuicem dimicare desinant, vt commune malum vltionis regię iusteque euitent. sicut Iustinianus Cæsar ipsemet expertus est Cōstantinopoli, vbi populus in duas factiones sectus, Prasinam scilicet, viridi colore niten-

tem,

tem, & Venetam violaceo, tandem è spectaculi lætitia in seditionem irrupit. Cumque à magistratib. asperè coerceretur, quo ab exitiali turba desisteret, potius vnà coit, & aduersus Augustum conspirauit, ac Hypatium quendam, vt Procopius tradit, ex Anastasii Cæsaris progenie imperatorem conclamauit, tãto ardore, vt de fuga Iustinianus cogitauerit ægrè à Theodora coniuge retentus, ac mox ereptus à Mundo Herulorum Duce & Belisario, cæsis hominum 40. milibus, si Zonaræ creditur. & hæc ante nos paulisper libauimus, ipsi Theodoræ gratantes, iudicibus quoque ad iustitiæ normam fabricandis intentissimæ, vel viri ipsius testimonio in §. *hac autem. vt iudic. sine quoq. suffrag. col. 2.*

† Quæstionis est, quousq; vassallus expeditionis comes domino ad bellũ eunti esse debeat. quid si dominus Alexandri Magni indole præditus, orbem terrarum velit subigere, & per eum vagari, excusabitur vtique vassallus à Iurisconsulto, exemplo liberti è prouincia quidem Romam eunti ad prẹstãdas operas, sed non vt per orbem terrarum cùm patrono vagetur. *l. quod nisi. ff. de oper. seru.* præterea est pugna suspectior, quæ ad offendendum initur, non ad defendendum. *cap. 1. hic finit. lex, de ind. consuet*, & vbicunque iniustè bellum dominus facit, vt ibidem dicitur. Sed alius dicet defensionis speciem esse hostem tempestiuè in suo solo superatum 11

iri, ne in noſtrum incurſet: atque occurrere in tempore potius quàm poſt exitum vindicare ferro lentiſſimo, *l.1.C.quãdo lice. vnicuiq;*. Sed profectò quô vertar in hac ſpecie, ignoro: cùm vaſſallus iuret ſe adfuturũ bellis, quæ ſciuerit iuſtè illatum iri à domino quamuis ad offendendum, ſimulatque requiſitus fuerit, § *pen.de noua form.fidelit.* nec non Iuriſconſulto de hoc excitãte nec regulam inueniẽte, *l. Meuia §. vxori. ff.de annuis leg.* verendum enim eſt, ne ſi iuſtitiæ articulos exactè ſcrutemur, vaſſallis ſimus iniquiſſimi, ſi fortè velint iniuſtitiam belli domino potentiſſimo obiicere. Et nemo neſcit quid Pythio Lydorum ditiſſimo, quinq; filiorum parenti contigerit. Is, ſumpta fiducia, quod Darium Xerxis regis Perſarum patrẽ aurea platano ac vite donaſſet, & hunc duob. milibus talentûm argenti, auri verò ſignati ampliore numero, vacationem militiæ vni filio petiit, ne cùm reliquis contra Græciam iret. Vnde regis infenſi iuſſu adoleſcens medius diſciſſus apud Herodotũ legitur. Et hoc maximè erit metuendum, ſi ſpectemus ius Romanorum, qui nõ alio iure freti quàm viriũ & potentiæ orbẽ pene totum ſubegerunt à Romuli tuguriolo exorti: ita vt in concione Pompeius *Magnus*, cognomẽtum hoc nactus, victa prorſus Africa, gloriat⁹ ſit ſe Aſiã imperio mediam reddidiſſe, vt Plin. cõmemorat, quæ antea ꝓcul extitiſſet. nec D. An-

toninus in *l. deprecatio. ff. ad leg. Rhod.* vbi se *mundi dominum* iactitat, alio titulo se subnixum dixerit, quam viriũ & fortunę Dei nutu dispẽsatæ. proinde Cicer. 1. *Offic.* At belli, inquit, æquitas sanctissimè Feciali pop. Rom. iure pſcripta eſt. ex quo intelligi poteſt nullum bellũ esse iustũ, nisi quod aut reb. repetitis geratur, aut denũciatũ sit & indictũ. Ecce qualiter ad iustitiam belli indictionẽ non causam expetit, vt olim Hebræi fecerãt, causati innoxiũ transitũ à se solũmodo posci per terrã Amorręorũ. sic. n. excusantur à D. Augustin. *can. fi. 23. q. 2.* sed profecto hastã rectã per alienũ agrũ nulli ferre licet, nisi iure impetratæ seruitutis. *l. qui sella. ff. de seruit. rust.* qđ Iuriscõsul. sine dubio ad exercitũ ptinere existimauit. periculũ. n. eſt, ne ditioni alienæ inclus⁹ hostis prępotẽs, nõ facilè discedat, pſertim cũ lõgius dominandi libidine trahat.

† Grauis cẽsetur felonia, si vassallus dominum in prælio constantẽ dimiserit nõ mortuum nec mortiferè vulneratũ: quare feudũ amittit, *c. 1. quib. mod. feud. amit.* vnde sequit multò magis, defendi oportere dominũ in rixa priuata, vbi min⁹ eſt periculi & sumpt⁹, vel si à latronib. circũueniatur, *l. omne. §. fi. ff. de re mil.* atq; cũ q̃duis defensionis possibilis eidẽ pſtare teneat, & tutã, vt sic dixerim, tutelã, *c. 1. de for. fidel.* vbi etiã incolume cõmemorat & honestũ, ne si fortè domin⁹ p iniuriã alteri materiã tuitionis dederit, iuxta *l. vt* 12

vim. de iustit. & iur. vassallus qui videt dominum vapulare, culpetur; cum dominus prauitati suæ expensum ferre debeat damnum quod accepit & contumeliam: adeo, vt ne damnum quidem accepisse videatur, *l. quòd quis ex, ff. de regul. iur. cap. 1. hic finit. lex, de ind. consuet.* vbi in bello iniusto impunè vassallus dominum nō sequitur, vt vidimus. Ergo deprehensum in adulterio illum a marito iustum dolorem exequenti, offendi vassallus patietur, *l. si quis. §. si maritus. ad Syllani.* cum in sacramēto fidelitatis Deum testem assertoremque iustitiæ induxerit, non scelerum, quæ specialiter promissa obligationem non continerent. *l. non dubium, C. de legib.* quare improbatur à Tullio C. Blosius, qui tanti fecit Tib. Gracchum illū, qui seditione infestauit Remp. & famā suam ac vitam, vt quicquid hic vellet, sibi faciūdum putaret: & sciscitanti, nunquid etiam si voluisset face Capitolium accendere; Nunquam ille, inquit, vellet, sed volenti parêrem: quòd quidem mox fecit, comes furoris Gracchanæ, vel dux potius, & amicitiæ inconsultæ improbus autor, *l. lata. in fi. de verbor. signif. ff.*

13 † Quęrit interpres in *d. c. quib. mod. feud. amitt.* an excusetur vassallus si tunc in pręlio dominum deseruerit, cùm illi iam vsui esse non potest, mutilus, aut grauiter sauciatus. dubio caret hæc res, *cap. fin. de feud. sine culp. non amitt.* vbi satis est vassallo si circa domi-

num

nium laborauerit, quantum potuerit in conflictu; & æger immunis est ab accusatione, si non succurrerit. *d.l. si quis. ad Syllanian.* quantò magis ille qui succurrendo pro viribus ægritudinem incurrit, *l.1.§ pen. vers. quid si. ff. ad Syllan.* nisi velimus integrare veterũ Germanorum mores, de quibus Corn. Tacitus: Iam verò, inquit, infame in omnem vitam ác probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Et hoc vtiq; ego exercerem libenter ac laudarem, sed pleraq; laudi sunt, quæ nemo inuitus facere cogitur, *l.1.§ licet, ff. de pericul. & commod. rei vendit.* addit rationẽ Accursius, quòd nihil imputatur vassallo, cùm dominus iam moriturus fuisset. *l. si plures, § final. ff. depos.* sed hæc ratio fallax est in re militari, vbi protegere miles præpositum debet omninò si possit, *l. omne. §. fi. de re mil. ff. & l.3.§ fin. ff. eod.* conari itaq; miles tenetur & diuinare in confertissima acie illum vel illum esse moriturum, nõ perinde licet; imò moritur, quia molliter deseritur, *l.1.§. tulisse. ff. ad Syllan.* magis iuuat, quòd fas est vassallo in pugna dominum mortiferè vulneratum deserere, cùm æquè illi moriendũ veniat ex lætali vulnere, *d. c. quib. mod. feud. amitt.* sed hoc metimur ex domini, non ex vassalli persona, vt superiore specie, in qua de vassallo grauiter saucio disceptabamus. Et consuetudo ambiguum liquidè interpretabitur, vt in militibus deuotis Galliæ Aqui-

tanicæ, *Soldurii* dicuntur apud Iulium Cæſarem *libr. 3. de bello Gallico.* qui iis, quorum amicitiæ ſe dediderant adeò fideles manebant, vt potius mortem ſibi ipſis conſciſcerent quàm patronis ſupereſſe vellent. Dicerem ſoldati fidelis nomen inde fluxiſſe, niſi à ſolidorum ſtipendii militaribus Obertus dici maluiſſet, vt oſtendi paulò antè, *cap. 2.* nec tacet *Athenæus lib. 6. cap. 6.* Celticum Regem ſexcentos fideles quondam habuiſſe ciues, qui *Solidurii* patrio more dicerentur, quod Grҽce *vota exequentes* ſignificat, vnà cùm regibus viuere atq; mori ſolitos.

14 † Quærit ibi Accurſ. an vaſſallus debeat domini ſalutem ſuæ præponere, eò quòd, ſi poſſit, à morte liberare ipſum adigitur, §. *fin. de alienat. patern. feud.* ſed & ſeruus quoties domino auxilium ferre poteſt, non debet ſalutem ſuã anteponere. *l. 1. §. eodem. ad Syllan.* Verum eò itum eſt vulgò, vt nobilior conditio ſit vaſſalli quàm ſerui, qui in patrimonio domini eſt, & iure ciuili pro nullo habetur. Sed medius fidius ratio Iuriſconſulti de ſeruo ſubiecta ad vaſſallum iuſtiſſimè transfertur; *Ne,* inquit, *cæteri ſerui credant in periculo dominorum ſibi quemquam conſulere debere.* alioquin namque eueniret, vt vaſſalli ſe extra teli iactum componerent, cauſati in pari cauſa ſibimet potius quàm periclitanti domino adiuuiſſe. nam illud, *Dilige proximum ſicut teipſum,* quo apertè ſui amor

mor cuiq; iniungitur pręcipuè, non obtinet in feudo sic dato, vt commori pro domino oporteat, & à fato perenni laude viuere, §. 1. *de excus. tutor.* maximè cùm dominum iuuare vassallus obligetur cōtra omnes, excepto antiquiore domino, etiam contra fratrem, patrem, & deniq; cōtra filium cuiq; chariorem seipso, *l. isti. ff. de eo quòd met. caus.* nam & filium iniuriũ domino sistere tenetur, aut priuatur feudo. §. *insuper. de prohib. feud. alie. per Feder.* sed hoc requirente domino, alioquin non oberit filio procacitas viuo patre cōmissa, §. *quæsitũ. de cap. qui curi. vend.* sanè offerente sponte sua filium patre, dominus erit mitior exemplo regis, *l. milites 2. § fin. ff. de re milit.* & meritò in filium offensorẽ domini excandescet pater, ne videatur inimico domini se copulasse, exitiali malo quinque testibus probando, *cap. 1. quot testes sunt necess. ad proband. feud. ingratitud.*

† Ideoq; in vtramq; partem disquirit Accursius, an vassallus contra seipsum belligerare pro domino teneatur, vt à semet tutũ reddat eum, quem aduersus alios tueri promisit, *l. frater. §. porrò. ff. de condict. indeb.* nec ignoscit filio dulcissimo & solũ excipit antiquiorem dominum; cùm inter pares locus foret gratificationi, si omnes pariter iuuare nequiret. *l. si quis. §. si cùm omnes. ff. ad Syllan.* Cæterùm hæc ratio parum vrget; quia licèt excipiatur dominus antiquior tãtummodo, 15

tamen rex licèt iunior ac recentior, ſemper ſubintelligitur exceptus, *cap. 1. de noua form. fidelit.* imò etiam vaſſallus ne in ſeipſum caſtrenſia arma magis paret, quàm forenſia, *l. 1. de edend. C.* nec dominus debet expectare opem in eũ armatus, à quo ſuccurri ſibi poſtulat, *l. amiciſſ. §. Lucius, ff. de excuſ. tutor.* & cùm iurans vaſſallus fidemq; ſuam contrà omnes obſtringit, excipit loquentis perſonã, pro cuius vtilitate feudum accipit. *l inquiſitio. C de ſoluti.* Et hæc locum habent vbicunque dubium eſſet, an bellum eſſet iuſtum vel iniuſtum potius, cùm ſit par ratio defenſionis inter dominũ & vaſſallum; *§. fi. de forma fidelit.* vnde in dubio fauẽdum ei eſt, qui ſe plus alio tuetur, cùm natura quiſq; ſibi amic⁹ ſit, vt ait Plato *lib. 5. De legibus*; & quiſque experitur; proinde cùm neuter alterũ laceſſere debeat, nõ puto vaſſallum ſui ipſius obliuiſci oportere, vt domini meminerit, ſi nõ apparet vter alterum aggreſſus ſit, *l. ſcientiam. §. ſi cùm; ff ad leg. Aquil.* nã neſcio quomodo in caſu dubio pro illo benè ſuſpicamur, qui aggredienti obſtiterit, *l. 1 §. cùm arietes, ſi quadrup. pauper. feciſſ.* hoc tertiũ mẽbrum belli ancipitis, id eſt, iuſti vel iniuſti, quòd frequentiſſimum omnium eſt, interpretes prætermiſerunt.

Duo verò vtrinq; ſatis diligenter expenderunt, vt vel bellum iuſtum ſit à vaſſallo illatum, vel iniuſtũ. Si iuſtum, Marte ſuo cur-

rat,

fiat, eò quòd dominus ipso iure proprietate feudi priuandus sit, offendens atrocior vassallum, *d.§.fi.de formá fidel.cap.1.qualit.domi. propriet.feud.priuet.* neq; autem debet vassallus temerè insurgere armave arripere, & ad pulicis morsum deos inuocare, sed offensione legitima. § *in quib. caus. feud. amitt.* quòd si bellum iniustè intulerit, iam à feudo procul abigetur, dominum offendés, quem defendere debuerat, & vitam pro illo prodigere. Sed quando è diuerso dominus incipit vassallo nocere, & è protectore fieri aggressor iniurius, dissoluit sacramenti vinculum, *l. qui seruum. de verbor. oblig. cap. petitio. de iureiur.* quoniam nimis vulgatum est, non reprehendi violentiam, quæ lege permittente fiat.

† Sed quidnam statuemus, si vassallus dominum in bello dimiserit molliter quidem & probrosè, sed tamen dominus saluus euaserit, an nihilominus feudo priuetur? quod vulgò magis placet, eò quòd in *d. cap. 1. quib. mod. feud. amitt.* feudo spolietur, qui vel dominum dimiserit, nec requirit periisse. sed hoc non valdè persuadet, quoniam dimissus potest videri non dimissus, & facta pro infectis habentur, cum exitus non fuit infelix, *l. 1. in fin. ne quis eum qui in ius vocat. ff. l. 1. de iis quæ in testam. delent.* veriùs ergo iuuerit doctores *cap. fin. de feud. sine culp. non amitt.* vbi tunc feudo demum spoliatur vassallus, si do- 16

O

minum in prælio dimiſerit, & cum eo non laborauerit, ſi potuerit, *l. omne, §. final. de re milit. ff.* & hoc vrgenti ratione, vt ſint impoſterum cautiores vaſſalli reliqui, ne ſe lêpores præbeant, dum leonibus equari debuiſſent, & manu clamoreve ſaltem terrere hoſtes domini. *l. 1. §. eod. ff. ad Syllan.* Quid, quòd in bello qui facit aduerſus præfecti mandatum vel prohibitionem, capite punitur, tametſi benè ceſſerit audacia vel ignauia, *l. 3. §. in bello. ff. de re milit.* vnde excuſatur ſæuitia Manlii Torquati, qui filium occidi à lictore iuſſit, licèt ſpolia referentem à Geminio Metio, duce Tuſculanorum, quòd iniuſſus dimicauerat, ſatius ducens ſe carere filio quàm rempubl. diſciplinâ militari. *l. poſtliminium. § filius. ff. de captiu.* & eiuſmodi opinio liquidò probatur in *§. ſi vnum. in Authent. vt cum de appellation. cognoſcitur. col. 8.* vbi pater captus ab hoſtibus feliciter euaſerat, tamen filius, qui eum neglexerat, nihilominus exhæredari poteſt; nec me abſterret ab hac ſententia *d. l. 3. §. fin. de re milit.* vbi qui præpoſitum deſeruerit in acie, eo occiſo demum capite punitur; nõ ergo eo incolumi: quia reſpondeo non quidem capitis plecti ſupplicio, cæterum feudo multari.

CAP.

CAP. X.

De felonia domini in vassallum: item de illo redimendo; de cucurbitatione; de iniustitia alterutrius; de bannito vel excommunicato aut faydoso: de accusatione, patrocinio, & testimonio, prohibitis.

NOTABILIA.

1 *Quamuis feloniam committat in vassallum dominus, tamen in disparibus correlatiuis par ius non esse: & , cur feudorum domini,* seniores *vocentur.*

2 *Ad captiuum vassallum redimendum an cõferat dominus, aut contra.*

3 *Cucurbitatio grauis est feloniæ species, vel lusus turpis cum puellis ad dominum pertinentibus.*

4 *Quid si cum sponsa domini rem habeat vassallus: vel cum ipsius vxore iniusta, vel cum concubina vel vidua.*

5 *Quo sensu capitur iniustitia per quam priuatio feudi sequitur.*

6 *Si dominus iudex vel comes in vassallum suprare extrinseca perperam iudicet.*

7 *Propter iniustitiam domini licet non bannitis fas est vassallo depradari.*

8 *Cùm ob culpam vassalli tertius irritatus nocet domino, quid iuris existat.*

9 *Bannito seu diffidato impunè negat vassallus seruitium.*

10 Bannum *quid significauerit prisco significatu*, & ribannum *equitum Gallorum edicto euocatorum à duce suo.*

11 *Fayda in lege Longobard. quæ sit, tum* faydití, faydosi; *& quæ persona* faydam *leuet.*

12 *Qui semel ignouit iniurioso non renouat inimicitiam, & vassallis culpam ac scelus cum laude domini remitti, vt filiis vel libertis.*

13 *Si pendente domini excommunicatione feudum vassallus alienet; &, quod excommunicatio antiquissima pœna Gallorum fuerit; &, an iure militent Christiani sub rege Barbaro.*

14 *Si vassallus vendit feudum, quandiu exulat dominus, illo mox restituto, an puniatur.*

15 *Cur bannitus non amittat ea quæ sunt iuris gentium, à quo etiam bella prouenere & feuda, & tamen ius perdat vassallo pro feudo imperandi iure militiæ.*

16 *Plurimæ causæ subsunt, quibus feudum adimitur vassallo, non expressæ à iure.*

17 *Vassallus domini accusator feudo priuatur: quid in delatore vel denunciatore.*

18 *Quid si dominus iustè accusetur ob facinus, præter illa quæ in regem vel rempubl. cõmittuntur.*

19 *An ab alio accusatum vassallus tueri obligetur, & vice versa: &, an aduocato ei esse li-*

se liceat contra suum dominum.

20 *Testimonium dicere an possit in dominum reum, vel potius peierare, vt celet eius flagitium.*

† Constat ergo officia domini & clientis 1 vltro citroq; præbita humanitate cõmendari, & in omnib. vicem rependere debere alterum alteri, vti dicitur. §. *fin. de form. fidelit.* itaq; C. Cæsar Pont. Max. in oratione quam pro Bithyniis dixit, hoc principio vsus est: *Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, refugere hoc munus non potui. nam neq; hominum morte memoria deleri debet, neq; clientes sine summa infamia deseri possunt. quibus etiam à propinquis nostris opem ferre instituimus.* refertur ab *A. Gellio lib. 5. cap. 13.* quare feloniam perinde committit dominus vassallo lacessito, vel deserto; vt è diuerso cùm ipse ab eo offenditur, vel destituitur, *cap. 1 qualit. domin. propriet. feud. priuet.* innuit tamen Obertus non admodum propriè hanc dici feloniam in §. *domino, si de feud. content. sit inter domin.* & quamuis in omnibus debeat vassallo dominus reciprocè subuenire, ac multò magis à malo & iniuria abstinere, *d. cap. 1. de for. fidelit.* vbi aliter faciens perfidus censebitur instar aduocati præuaricantis, tamen dubitat nemo, quin vassalli reuerẽtia erga patronum præstari pronior debeat quàm expectari. nam inæqualibus personis æqualia,

siút inæqualia, sicuti rectè à Platone dictum est *lib. 6. De legib.* scimus nos quoq; patris & filii mutuam amicitiam & opem a iure doceri: quia & ille filius quandoque fuit, & hic se patrẽ fieri desiderat. *§. hac autem, in Auth. vt cum de appell. cogn. coll. 8.* tamen fatemur pl⁹ deferri honoris patri, quàm filio. nec vlla lege vetitum puto quominus fraudator filius emancipatus doli actione pulsetur, nõ contrà, *l. non debet. ff de dol.* nec opinor, pater veniam petet edicti prætorii, vt illum in ius vocet quem progenuit, *l. venia. C. de in ius voc.* & quod vulgò dicitur, in correlatiuis idem iuris constitui, vt inter emptorem & venditorem. *l. 1. de cupress. libr. 11. C.* fallax inuenitur in vtrouis, cùm diuersa ratio alicubi deprehenditur vt quia venditor corporis certi minus obstringitur quàm emptor quantitatem vndique daturus. *l. ex empto. ff. de actionib. empti.* nec si pater & filius se correlatiuè habent, continuò vtriusque eadem causa est. nam sæpè potior est causa filii circa ius succedendi, *l. scripto. §. final. ff. vnde liberi.* de quo libentius dico, quia eadem est eius ratio cum vassallo & domino, *§. prædictis. quæ fuit prima caus. benefic. amitt.* & certum est dominum vocari *seniorem*, licèt vassallo multo iunior fuerit, *§. final. apud quem vel quos controuers. & eodem libr. 1. feudor. titul. 5.* quoniam seniori personæ iura plurimùm honoris & fi-

dei

dei tribuunt, *l. final. ff. de fide instrument. l. semper. ff. de iure immunit.* ex quo Lacedæmones publicum consilium senum nomine dignabantur, vt notat Tullius libr. De diuinatione 1. Proinde si dominus iusto bello offendere quemquam ex finitimis vel aliis velit, tenetur ei præstò esse vassallus, & secretum ipsius silentio obserare, §. *penult. de noua form. fidel.* nec è contrario vassallus accersebit dominum, vt se iuuet bella molientem, non defendendi, sed offendendi gratia. Parùm enim honorificè dominum habebit, qui ipsi imperabit, vt accedat comes expeditionis. in quo discernendo multum pollebit iudicis circumspecti prudentia, §. *ad hoc. hic finitur lex; deind. consuet.* cui consido postquam doctores neglexerunt non habito personarum delectu, quem ibi Obertus commendat. eccui notissimum non est grauiorẽ fieri iniuriam inferioris in superiorem, & augeri pœnam, si subditus in potentiorem ceruicem erexerit. *l. prætor. §. atrocem. ff. de iniur. l. capital. § omnia. ff. de pœnis.*

† Videamus, quid si vassallus in bello captus fuerit, & redimi possit, an dominus cõtribuere cogatur, vel vice versa, ille pro captiuo domino. quòd veteres pro comperto habent: Cum Obertus meminerit inclusi domini à vassallo adiuuandi, & liberandi, si possit §. *item si, quæ fuit prim. caus. benef.* quiá 2

quam ibi libéter dixerim de domino inclúso carcere poti⁹ tractari, vt §.*causas.in Auth. vt cum de appell.cog.* sed magis viget ratio in captiuo, qui de anima, nedum de corpore periclitatur; sic aurum redemptionis id operatur quod sanguis Christi, vt ait D. Ambrosius *can. aurum, 12. q. 2.* nempè si à Turcis aliisve barbaris redimatur. accedat §.*prædictis, eod. titul.* vbi causę excludendi vassallum formantur instar earum, quibus filius à patris successione reiicitur: quarum illa non vltima est, si patrem captiuum filius non curet liberari, §.*si vnum. in Auth. vt cum de appell. cog. coll. 8.* ausim præterea affirmare potius in vassallo vel domino hoc obtinere belli quodammodo societatem ineuntibus: vnde vt manu animoq; promtiores existant in prælio, par est spem redemptionis proponere. Verè namq; Apollodorus ait apud Stobæũ, *Vix ad senectam peruenire militem, cui omnia benè successerint, nisi sit timidus.* quare lex militem multis cumulauit priuilegiis, sed pluribus captiuum eundem, vt fictio postliminii & legis Corneliæ testantur; quę ea simulant, quibus natura rerum superatur.

5 † Ingens est causa feudi amittendi, si vassallus dominum cucurbitauerit, non tamen adeò, vt in curia manere ei fas non sit, vti animaduertit Accursius in *capit. 1. de vassal. qui contra constit. Lotha.* vel si cum filia vel nuru aut nepte ex filia coierit, aut saltẽ tur-

piter

piter luserit, §. *Item si, quib. mod. feud. amitt.* idem si cum sorore domini, si in ipsius domo maneat, inquit Obertus. quæ tamē verba putat Accursius esse superuacua: nec vidit eadem repeti, § *rursus qua fuit prim. caus. benef.* vbi tunc in fraterna domo puella dicebatur manere in capillo & comam pandere, cùm nuptiis velari consueuisset luteo flammeolo; estq; vitta rubra & cādida caput cingere pudoris indicio, *can. fœmina. 30. q. 5.* nec dubium est ex cuiusq; domicilio augeri iniuriam, *l lex Cornelia. ff. de iniur.* maximè stupri, *l. quod ait, ff. de adulter.* cùm autem soror iam locata est matrimonio, magis ad maritum eius, quàm ad fratrem contumelia pertinet. Impleuit namq; puella sororis etymō, quæ quasi seorsum nascitur, separaturque à domo, in qua nata est, & in aliam familiam trāsgreditur, vt dicebat Labeo Antistius iuriscōsultus: turpiter ludere intelligitur cùm muliere, qui manum in sinum, vel alium secretiorem locum indiderit, vt *libr. 2. legum Longobard. titul. qualiter quisque se defend. l. si quis amodo.*

† Quòd verò de vxore adulterio per vas- 4
sallum polluta dico, pertinet ad spōsam, iureq; Romano suppletur, ne matrimonium violetur, nedum spes qualiscunq; matrimonii. *l. si vxor, ff de adul.* vbi idem est in iniusta vxore & in concubina; cùm non soli Atridæ suas vxores ament, nec soli pro rapta vxore

bellum suscepêre, vt ibi ex Homero Vlpianus recensuit. Vnde meritò arguit pro iniusta vxore accusationem adulterii rectè institui; cùm id apud poëtã pro Briseïde captiua nobili Brysę Mœsiorũ sacerdotis filia, vt tradit Hyginus. Achilles, à quo abducebatur, dixerit. Ergo erat iniusta vxor, i. illegitima, sed talis tamen quæ vxor fieri posset, secutis nuptiis, sicut alibi edocui, *l. filius. §. si quis eo. de libe. & post h. l. eos qui, de rit. nupt. ff.* sæpè. n. minor 12. annis ætas iustas fieri nuptias vetat interim, spe tamẽ fouet. In concubinã quoque quisq; affectu ducitur, & iure extero accusat adulterium non iure mariti, *d. l. si vxor. 3 si quis vxorem.* eò quòd concubina ex obscuro loco eligitur, vel quæ antea quæstum corpore fecit, *l. 3 de concubin. ff.* quæ tamen pro matrona est, si ex vulgari vita in manum mariti venerit, vt cõiunx Oseæ iussu diuino copulata, *d. l si vxor. vers. sed et in eodem modo vassallus querelam instituet contra dominum mœchum tanquam atroci affectus iniuria. l. si adulterum. § liberto. ff. de adulter.* Quod si cũ vidua domini stuprum vassallus cõmiserit, æquè multabitur feudo. nam & defunctis fit iniuria, *§. licet. quib. ex caus. manumitt.* potissimum hac de re anguntur manes viri, quãuis honestè secundo nupserit mulier, *§. quæ verò. de nuptiis. col. 4. in Auth.* quare in turpi amore lõgè grauiùs lex exacerbatur: adeò vt diutissimè sacerdotes, quibus olim con-

iugem habere licuit, abstinuerint à viduis laicorum; donec Paphnutius Episcopus opidi supra Thebas, cælebs alioquin & castus, suaserit, (ne nimium stringendo à sacris reb. deterrerentur) vt & viduas impunè ducerent, teste Suida; licèt iuxta Apostolum primam fidem irritam fecerint, *can. de viduis. 27.q.1.* sed tamen lege permittente, vt deterius quippiam euitetur nempe turpis consuetudo.

† Latissimè patet illa causa priuãdi à feudo vassallum, si quis domino suo iustitiã facere noluerit, *§. illud. quæ fuit prima cauſ. beneſ.* Vbi Obertus satis fuit negligẽs in re explananda; eò quòd ibidem testatur se de eadem alio libro ad filium scripsisse. atq; ideo vagatur per multa exẽpla: quia vt iustitia omnem virtutem in se complectitur, vt ostẽdit Aristot, *lib. 5. Moralium* ad Nicomachũ; ita obuiare illi multis modis contingit: cùm proclinior sit humana cõditio in vitiũ. Vnde Accurs. relinquit exẽpla inuestigãda lectori industrio, postquã vnũ ipse attulit, in vassallo qui in ius vocatus à domino nõ venit: atq; id reprobat, nisi, inquit, de feudo disceptet, ne res in vno iudicio agitata, in alio præiudicium faciat. Ego vero nõ ausim eiusmodi exemplum refellere, & feudo priuarem vassallum, si iniusta lite vexari sineret dominũ, quamuis super feudo instituta non fuisset: sed cum delectu, puta, si euidenter consta-

ret iustè à domino pulsari vassallum, nec sisti in iudicio, modo etiam de re non parua ageretur, §. *ad hoc. hic finitur lex, deind. consuet.* nam vt nõ debuit vassallus metu litis & periculi ius suũ indefensum relinquere quod defensione dignum putat, addubitans, *l. illud. de petit. hared. ff.* §. *fin. de lege Conrad.* vbi sola fraus inulta non est: certe qui non venit in iudicium, dolo non caret procrastinans, præterquam quod iudicem contemnit. Vnde iudici licet in causa fere propria dicere ius, *l si quis ex aliena. ff. de iudiciis.* & propter obstinatam contumaciam ex primo decreto actore possidere iubere cum emolumento fructuum, *l. Fulcinius,* §. *fin. ff. quib. ex caus. in possession. eat.* proinde vno ictu duo incutit vulnera vassallus contumax in re alia quàm feudali: quoniam de feudo nemo dubitat; nam irreuerens est iudici, deinde domino, quem vexat sumptibus repetitæ vocationis in iudicium, & molestiis ac dilationib. sicut è diuerso dominus iniustè compellans vassallum in forum, ipsum vexat, *leg. de pupillo.* § *si is cui, ff. de oper. noui nunciat.* & si multum distet tribunal à domicilio vocati, latet vocationi iniuria, *l. iniuriarum* §. *si quis per. ff. de iniur.* quæ multum abest ab illa indemnitate, quàm domino vassallus debet honestè de sua iustitia, vt ait Obertus *cap. 1. de form fidel.* & vicissim vassallo dominus, *cap. 1. qualit. domin. propriet.*

† Quare

† Quare si dominus sit iudex vassalli, non 6
modo quia de feudo quæritur, sed etiā quia territorio & eius iurisdictioni in reliquo patrimonio subest, vt in §. *fin. qualiter iurar. debeat vassal.* tunc dominus proprietate mulctabitur, si modo iniuste iudicauerit. sicut reges in parua ditione olim facere consueuerant, *l. 2. ff. de orig. iur.* & Comites ac Duces, vt Comes stabuli, de quo *l. 1. de Comitib. & tribunis lib. 12. C.* vbi etiā de Comitibus prouinciarum singularum agitur. nam ille hodie *Conestabilis* dict⁹ in Gallia, successit præfecto prætorio, rem militarem gubernanti, & præterea iudiciis summis præposito, *l. 1. ff. de offic. præfect. prætor.* quinetiam Cęsar Federicus in *capit. 3. §. item statuimus. de statut. & consuetud.* aufert iurisdictionem ei, qui tertiò requisitus clerico iustitiam facere denegauerit. ita demum, inquam, dominus propter iniustitiam iure suo cadit, si in re liquida, in perspicua lege, iniquus fuerit, & in re non mediocri, nec causari queat prætextum iuris cōtrouersi, *l. cum probatis. ff. de re iudic.* & ita expresse sumitur iustitiam facere negligens: ac præterea tanquam pacis violator punitur, §. *iudices, de pace tenend. inter subdit.* nam pax quiesq; à Pindaro in Pythiis *iustitiæ filia* dicitur. & nos hodie nimium experti sumus, iustitia neglecta ianuam sceleri & angori aperiri. Ergo quod male iudicauit dominus iudex in negotio extra feudū, in feu-

do illi præiudicat, licèt rei iudicatæ stetur propter eius autoritatem: quia lex æqua aliter punit eum qui apertè ex iniquitate lucrũ fecit, *l. si fideiussor §. in omnibus. ff. mandat & l. 2. §. fin. ff. de condict. ob turp. caus. cum l. 5. C. ad leg. Iul. repet.* sanè in §. *vassallus. si de feud. defunct. cont. sit.* multum interest, vtrum vassallus celet rem feudalem quam tenet, an aliã quamlibet: quia hoc modo feudũ non amittit, cùm tanquam priuatus celet: in iudiciis verò censor publica persona est, § *pen. de Atilit. tutor.* & sub prætextu muneris longè lateq; grassari potest, si odio vel gratia corruptus fuerit. *l. 2. §. initium. ff. de orig. iur.*

7 † Quanta vehementia lex insectetur iniustitiam domini nec non vassalli, Obertus patefecit in § *fi. de milit. vassal. qui contumax est*; vbi si dominus ingrediatur audacter feudum, & possideat, admonetur reuerenter à curia sua, vt restituat possessionẽ: quod si recuset ter admonitus, ibitur ad maiorẽ iudicem; cui nisi paritum sit, *licebit*, inquit, *iustitiã facere nolenti vim facere & deprædare.* Sic enim ingenuè loquitur, verbo prope duriore, quã sit ipse dominus. Ibi nescio quid subdit Accurs. de domino bannito, qui spoliari ab obuio quoq; potest. nã. inquit, si copia iudicis adesset vassallo, iam ius sibi diceret in causa propria, vnde rem amitteret, & præterea lege Iulia de vi publica armata, vel de priuata, reus esset, *§. recuperandæ. de interdict.*

ita

ita Accurſ. transfert ad vaſſallum, de quo in ſpecie Obertus loquitur, id quod omnibus in vniuerſum competit, cùm bannitus ab omnibus repelli debeat, velut hoſtis reipublicæ, §. *ſi clericus. de pace tenend. & eius violat. l. amiſſione. §. 1 ff. de capit. dimin.* Cæterum lex permittit vaſſallo prædas agere in dominũ, nec propterea iure ſuo cadet, maximè ſi incontinẽti vim vi retruſerit, & fortior vicerit expulſorem. *l. 3. §. eum. ff. de vi arm.* ſed etiam ex longo interuallo: quia impune vim affert violento vaſſallum cõtemnenti, nec minus iudicem admonentem vt reſipiat, cùm lege permittente id faciat. *l. Gracchus. C ad legem Iul. de adult.* præcipuè ſi à potioribus læſa dicatur iuſtitia, §. *neceſſitatem. in Auth. vt iudic. ſine quoqu. ſuffrag. coll.* 2. vbi ſine iudice in eos ſæuitur. quantò æquius præceptum iudicis armis iuuatur aduerſus proteruum reſtitutioni iniunctæ non parentem, *l. qui reſtituere. ff. de rei vẽdic.* nec vis eſt vlla vel iniuria in iuris executione, *l. iniuriarum, ff. de iniur.* lex ergo, vt aiunt, erit in manib. & venenum veneno expellit; vt ſolẽt medici, cùm ex viperina carne concinnant ſalubre antidotũ. itaq; contra prędonẽ vel alioqui improbũ & peruicacem terræ occupationẽ cõcedunt iura. §. *ſtatuimus. de ſtatut. & cõſuet. in Feud.* ſic medicati ſunt pleriq; populi aduerſus luem tyrannidis aliena inuadentis. Vt Siculi contra vtrũq; Dionyſ. patre interfecto pulſo aũt fi-

lio. sic Tyberium & Caium Gracchum perdidit lex agraria lata, ne vlli liceret pl' quingentis agri iugerib. possidere, in inuidiã potentiorum: nec profuit clarissimis fratribus Africani nepotibus velamentum legis non sibi, sed plebi consulentis, quominus mactarentur, & per seditionem bona direptioni præberet. Vnde Liciniæ alteri eorum nuptæ, dos omnino disperiit, *l. in L. iii. ff. solut. matrimon.*

8 † Et hic pulcherrimus Iaboleni locus, referentis dotem culpa mariti amissam, resarciri oportuisse ex sententia P. Mutii admonet, vt idẽ sentiamus in vassallo; si forte culpa domini & contractis inimicitiis iniuriam patiatur, vel dominus vassalli culpa, qui potentem vicinum lacessiuit. *l. si merces. §. culpæ. ff. locat.* præsertim cùm toties ostenderimus cõiugium videri necessitudinem feudalem. *cap. 1. de not. feudor.* & eodem iure cẽseri cùm improbitas accusatur. *§. prædictis. quæ fuit prim. caus.* Sanè vero damna pleraque alieno vitio vicinis inferuntur, vt sensere Mantuani ciues, cùm Cremonæ ager Iulio Cæsare interfecto per Octauium successorẽ victoremq; assignatus fuisset veteranis militibus; ex quo Mantuæ quoq; ager accessit eis, non sine Virgilii querimonia, Ecloga 9. nec dubium est quin dominus & vassallus inuicem damnum amoliri debeant, & tutum præstare, *cap. 1. de form. fidelit.* & ab iniusto bello tẽperare

perare contra exteros, *c.1.hic finit.lex, deind. consuet.* quinetiam si eadem alterutrius culpa alter magnam iacturam passus fuisset, is qui ingentis damni causam præstitisset, iure suo caderet tanquam ingratitudinis particeps, *l.fin.C.de reuocand.donation.§.preterea. que fuit prima cauf.benefic. amitt.* eò magis quòd ibidẽ non tam dolus requiritur, quam culpa, id est, negligẽtia ad repulsionem vassalli: sic namque culpa exponitur §. *preterea, quib.mod.re contrah.* iuuatur quicquid supra diximus de vassallo vel domino iracundum hostem irritãte, *l.si is cum quo.ff.comm.diuid.*

† Soluitur aũt vis sacramẽti à vassallo pręstiti interim, quandiu dominus à rege bannitus fuit, nec eum in militiam euntẽ comitatur, *capit.1.hic finit.lex.* nam regia autoritas semper excipitur promittenti fidelitatem, *c.1.de noua forma fidelit.* nec est periurus, qui causam habet nõ parendi ob superioris imperium, *l.fin.ff.qui satisd.cogant.* eò quòd bãnitus propriè dicitur diffidat⁹ in vsu feudorum, id est, hostis reip. §. *Gazaros.de statut.& consuetud. l.amissione,§.fi.de capit.diminuti.ff.* 9

† Illic quoque Federicus Imperator infligit bannum mille marcharum violatori immunitatum ecclesiæ, *d.cap.3.de statut.§.1.* vt patere possit bãnitos dici cœpisse exules à multæ genere, sicuti alibi disseruimus: cũ & veri exules, id est, deportati, bonis amissis à ciuitate expellerentur, *l.2.de public.iudic.ff.l.de-* 10

portatorum. de pœnis. C. sed spes erat restitutum eos iri rescripto principis, *l. intercidit. ff. de condit. & demonstr.* at hoc descendit, opinor, quòd in Gallia conuocari belli causa equites iactamus, idq; *bannum* & *ribannũ* vulgò dicimus, cùm nobiles feudo fulti coëunt, vt à præfecto recenseantur, aliàs ægrè mulctãdi. hinc in legib. Longobardorũ *lib. 1. tit. de exercitalib.* extat lex Caroli Magni: *Si quis,* inquit, *liber homo cõtempta iussione nostra cæteris in exercitu pergentibus domi residere præsumpserit, plenum Eribannum secũdum legem Francorum*, id est, 60. solidos, *sciat se debere componere.* & rursus: *Quicunq; liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum eribãnum componat 60. solidorum.* quę multa quàm grauis esset, mox ostendit, subdens, summa deficiente, Bannitum propter eribannum seruum fieri principis, quoad id persoluat pro quo nexus extiterit; sed morte obnoxii, seruitutẽ quoq; mori: iure vero Romano, qui miles ad edictum tribuni ducisve non respondisset, grauius puniebatur, *l. 4. §. qui post. ff. de re milit.* vbi prisco iure tanquam proditor libertatis, perẽni premebatur seruitute: deinde militię statu mutatę lenitũ est supplicium. Sed pexus aliquis, Tullii imitator, rosas loqui solitus, nauseabit, dũ verba hæc Franca Longobardave audiet in mediis foris interim frequentari, nec videbit Decẽuiros in XII. Tabulis obsoleta consulto

ſulto inſeruiſſe, & in multa antiquitus indicenda, ouē maſculino genere vſurpaſſe prætores, vt Varro apud Gellium refert: *Quando citatus neq; reſpondit, neq; excuſatus eſt; ego ei vnum ouem multam dico.*

† Itaque curioſos illos è media iuris prouincia bāniam, & quò magis irritem, donec faſtum euomant, *faydoſos* nominabo: eò libētius, quòd in archiuis publicis monumēta quædam legi vetuſtate ſua cōmendabilia; in quibus *faydoſi* ſeu *fayditi* hominis fortunę regi partim applicabantur. *Faydam* pro inimicitia expoſuit Accurſ. in §. *hoc autem, in fi. de iis qui feud. dar. poſſ.* & Curtius id recoxit: *Fœmina*, inquit, *nō poteſt leuare faydam*, id eſt, inimicitiam, *quam dominus habet cum hoſte ſuo.* Sed inimicitiam intelligo ex alienæ audaciæ flagitio contractam, & expiādam pœnis legitimis. ita ferè Rex Rhotarius *libr. 1. legum Longobard. titul. de plagis & compoſitionibus. l. in omnibus.* vbi teſtificatur ſe maiorem ſolito multam indixiſſe pro homine vulnerato, vt *fayda*, id eſt, inimicitia deponeretur: ſubditq; id, quod obiter noto, mortuum intra annum hominem ex illo vulnere obiiſſe cēſeri. haud dubiè, ſi vulnus fuerit mortiferum, *l. aut lex, ff. ad leg. Aquil.* non ſi per incuriam obeat, *l. 1. C. de emen. ſeruo.* Planè rex idem alibi in *titul. de ſucceſſionib. libr. 2.* ſtatuit occiſo homine, cui ſuperſint fratres, alii ſolū naturales, alii legitimi. legitimis dū- 11

taxat adiudicari pretium cōpositionis propter faydam deponendam: id est, inquit, inimicitiam pacificandam. sic extantibus masculis, filiæ non possunt ipsam faydam leuare, vt etiam notat Accursius, § *fin. an mutus vel aliàs imperf.* adeò vt parentes ipsi præferantur *titul. de homicidio liberor. lib. 1. l. si quis Longobardus*; vbi parentes, vulgi Gallici more, dicuntur agnati, *c. 1. quemadmod. feudum ad filiam pertin.* Sanè eò ventum fuit vt *faydosi* vocarentur homines arma vetita ferentes, priuato iure vlturi iniurias, vnde magna seges scelerum si nō defendendi animo protinus qui lacessitur, se vlciscatur. *l. scientiam. § pen. ff. ad leg. Aquil.* inde Imper. Carolus Magnus in *tit. de faydosis in l. 1. & 2.* increpat eum, qui pro fayda pretiū accipere noluerit, sed magis eum, qui post pacificationem alium occidisset, & manum vltricem ei amputari iubet, bāno dominico psoluendo.

12 † Inhumanum est enim veniæ spem adimere offensori, & inter mortales immortale odium alere, *l. furti. § pactus. ff. de iis qui notant. infam.* vel vindicta iudici legem sequēti committenda est; ex quo infero, dominum posse condonare vassallo culpam, quæ aliàs feudum auellit exēplo patris erga filium exhæredabilem, vel domini in seruum improbum, *l. in ipsius, C. famil. hercifcund.* maximè, vt ibi habetur, si merita sequentia pristinam offensam obliterent. Ergo Accursius in *cap. 1. apud*

1. *apud quem vel quos controuers. feud.* rectè exposuit verbum, *debet*, pro, *potest*. Cùm ibi dicatur reuocari debere feudum, & seniori addici ex alienatione. vel melius sentio, ante verbũ, *debet*, intelligi, si is, qui lacessitus est, velit vti iure suo, non quod ei incumbat necessitas, etiam si ipso iure fieret reuocatio, *l. filio ff. de iniust. testam.* sic ponitur verbum, *debet*, in *l. qui petitorio. ff. de rei vend. c.* Clementiam autem domini, diuinæ bonitatis imitatricem, quisque laudabit, *l. imperialis, C. de nuptiis* sine fisci præiudicio in asperiore scelere, *l. iuris gentium. §. si paciscar. de pact. ff.*

† Excõmunicato præterea domino morem gerere, seruireq; vassallus ante absolutionem non tenetur, *d. cap. 1. hic finit. lex, deinde consuet.* nam excommunicatis fidelitas non seruatur, & Pontifex eam interim dissoluit, vt Deo potius, quàm hominibus pareatur, *can. pen. & fin. 15. q. 6.* Sic enim celerius resipient domini, si se iure deseri ab hominũ adiumentis intelligẽt. Proinde Druides, prisci Gallorum sacerdotes & philosophi, de omnibus publicis priuatisq; iudiciis cognoscere soliti, nihil supplicii melioris excommunicatione inuenerũt. *Si quis*, inquit Iulius Cæsar, libr. 6. de bello Gall. *aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. hæc pœna apud eos est grauissima. quib. ita est interdictum, ii numero impiorum, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ser-* 15

monem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, neq; honos vllius communicatur. hęc ille. Vnde poteſt colligi altera ratio, cur vaſſallus non comitetur dominum in bellicam expeditionem, à ſacris reiectum: quia ſerpit vis excommunicationis in eos, qui excõmunicatione participant, & facilius, ſi opituletur deſerto ab eccleſia, *cap. ſignificauit de ſentent. excommunic. & cap. inter.* vbi excipitur is, qui ex cauſà neceſſitatis conſuetudine excõmunicati vtitur. at verò neceſſitatẽ vaſſallo lex ſubſtulit, vt pœna ſit domino inter homines verſari, & eorundem carere ſuffragiis, atque quodammodo in vrbe exulare, vt de apoſtatis, qui Chriſtianam fidem denuo polluentes, ad profanos ritus remigrauerunt, dicitur in *leg. 3. C. de apoſtat.* cuiusmodi Romani ducebant eos, quibus aqua & igni interdixiſſent, velut elemẽtis ad vitam valde neceſſariis, antequam deportatio in inſulam vſitaretur, *l. 2. §. 1. ff. de pœn.* vnde eſt quod miremur à D. Ambroſ. nõ improbari milites ſub Iuliano Aug. merentes, eidemq; fidem datã ſeruantes, quandiu Chriſtianos non impugnabant, *can. Iulianus. 11. q. 3.* nam Iulianus Chriſti ſacris initiat⁹ egregiè fuerat; & ideo tonſus, monaſtico ſe dicarat inſtituto, lector etiam factus Nicomediæ, vt Socrates ſcribit in *hiſtor. lib. 3. c. 1.* Sed cumprimum mortuo Conſtantio irrupit in imperiũ Rom. è Gal-

liis

liis profectus, vbi demum militauerat, non modo Christi fidem abiecit, sed etiã studiosissimè insectatus est, teste Sozomeno *lib. 5. c. 2.* Cæterùm prudenter fecere Christiani, qui sub eo militarunt, ne, si periuri fuissent, ipsum magis exacerbarent, manu promtum ducem; &, vt interea Christianis reliquis armati commodius subuenirent, aut eisdem ignoscerent, vt illic docet D. Ambros. & interpres addit, excõmunicatione non aboleri prorsus sacramẽtum vassalli, domino præstitũ, sed suspẽdi quoad domin⁹ restituatur; vt satis patet in *d. c. 1. hic finit. lex, dem. con. uet.*

† Ex quo disquiri solet, An vassallus vendens feudum eo tempore quo exulat dominus, qui deinde à principe restituitur, propterea feudum amittat velut contempto retrorsum domino, si sciẽs vendiderit, aut aliter alienauerit, vt *c. 1. de controuers. inter dom. & emptor.* & placet prors⁹ amittere; quia dominum cõtempsit eo tẽpore, quo ei subuenire debuerat, postquã talis necessitudo tãtopere à iure & more laudatur, & cõparatur cõiugio, *d. c. 1. de notis feudor.* vbi indignũ est, videri dominũ egentẽ, quẽ cõiugẽ amicũq; professus antea vassall⁹ fuerit: &, exẽplo cõiugũ, neuter ab altero pl⁹ exigit quàm facere possit; ære alieno deducto; nec verò cõiugum exilio soluitur, *§. deportatio. de nuptiis, in Auth. col. 4.* atq; qui amicus est, diligit omni tẽpore, & frater in angustiis cõprobat, vt ait 14

Hebræus sapiens. Hinc laudatio Sulpitiæ, quę Lentulum Crustelionem virum suum à triumuiris proscriptum, clandestina fuga, teste Valerio *lib.6.* in Siciliã secuta est, quasi se vnà proscriberet; nec obest *l.1. ne fiscus rem quam vendit euinc. libr. 10. C.* vbi emptor non debet inquietari super re à fisco semel vendita, nec si minor 25. annis restituatur, cùm res iam integra non sit, *l. quod si minor. §. Scæuola. ff. de minorib.* quia in feudo vendito vituperamus vassallum, cum in re incerta certum se domini amicum præbere debuerit, & de restitutione domini potius, quàm de feudi distractione cogitare, *leg. nec nos. C. de postlimin.* Sanè si tã triste exilium pateretur dominus, vt pœnam secum traheret, aliud statuerem quàm in deportatione delenda rursus, *l. fi. §. fi. de sentent. pass. C.* sicuti in dãnato in metallum accidit, qui propterea *seruus pœnæ* nominatur, & verbera seruilia quodãmo suffert, *l. in metallum. de iure fisc ff.* quales sunt damnati ad *galeas regias:* sic enim nauigia longa vocat Bonifacius in *ca. 2. §. & quia. de re iudic.* & flagris pro arbitrio nauitæ immanis cæduntur; si modò perpetuò perpeti remigiũ debeant ex sententia iudicis: & non minꝰ re ipsa seruiunt, quàm diutissimè moriuntur, nec spes est fore vt restituantur verisimiliter, *l. intercidit. ff. de cõditi. & demõstr.* quare si præter opinionem restitutio contigerit, non reprehendetur vassallus, qui non diuina-

diuinauit. *l. si putator. ff. ad leg. Aquil.* tametsi à principe sæpe ita damnati restituantur, *l. 2. C. de sentent. pass.*

† Sed, quæso, cùm bella sint à iuregentiũ, *l. ex hoc ff. de iustit. & iur.* & deinde cùm bannitus seu deportatus non amittat quicquam eorum, quæ sint iurisgẽtium, *l. quidam. ff. de pœnis*, cur in bellum non comitabitur dominum pro feudo, quod quoq; à iuregentium esse contendi instar ceterorum contractuũ? An quia bello odiosa est infamia, etiam exilii tenuis præteriti, *l. 4. § ad tẽpus. ff. de re milit.* vel quòd quãuis bella sint à iuregentium, tamẽ est quoddam ius militare singularum gentium non omnium, atq; ita ciuile est. *l. omnes populi. ff. de iustit. et iur.* maximè, cùm de puniẽdis flagitiis militarib. quæritur. *can. ius militare. 1. dist.* Proinde bannitus ab eiusmodi iure exulat, nec feudi munia obire potest, neć inter homines liberè versari, maximè in curia domini, vnde feudi priuatio alitur, *ca. 1. an ille qui interfec. fratrem domin.* 15

† Plures causas feudi amittẽdi persequũtur interpretes, quàm ego attigerim; & plures hominum improbitas malo facto generabit, quas libebit expressis aggregare, si in vtrisque eadem ratio vigeat, *l. illud. ff. de leg. Aquil.* aut si magis vrgebunt, quàm illæ, quæ ab Oberto exprimuntur in *tit. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* vbi in § *prædictis*, censet ab exhæredandi filii, vel à dissoluẽdi matrimo- 16

nii causis exempla sumere. nā & Solon noluit legem Athenis ferre in patricidas, quòd non putaret tam sceleratum fore, vt sanguine patris vel filii sese macularet, & Medeæ sæuitiam in liberos paruulos fabulis adnumerabat. Sed cùm emerserit atrox facinus, *l. non possunt. ff. de legibus.* nec odia extendere solemus, quòd vetitum est in *l. cùm quidam. ff. de liber. & posth.* sed magis fauorem egregiū. nam etsi odiosæ pœnæ sint, & ideo extenuandæ interpretatione, *l. pen. ff. de pœn.* tamen cùm terrorem incutere decet grassantibus criminibus, tūc fauor summus Reip. qui in puniendo versatur, vltra priuatorum vtilitaté, omne odium abolet. *l. licitatio. § quòd illicitè ff. de publican.* vel potius pœnam inflictam fauori ascribit, expultricem nimirum malorum, quæ animum contaminant, vt bona & fauorabilis videri possit, quoties iure & merito adhibetur in vtroq; seculo: in dubio autem mitior, præsertim in feudis eligitur. *§. ad hoc. hic finitur lex; deind. consuet.*

17 † Quamobrē cùm fas sit protendere feudi priuationes ex rationis similitudine, dici solet vassallo perniciosum fore, si in re graui testimonium aduersus dominū dixerit, perinde ac si accusauerit, vt Accursius quoque cōtendit in *§. item si, quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* vbi vassallus delator extiterat, atq; ita domino ingēs dispendium attulerat: vtrum-

que

que enim requiritur, sicut in exheredatione filii, secus in accusatione; quæ sola filium repellit, non expectato dispendio illato, *§. causas, in Auth. vt cum de appell. cognoscit. coll. 8.* ergo accusatio à delatione secernitur, vt in *l. penult. C. de iis qui accus.* tametsi hæc verba confundantur sæpissimè, vt cùm dicimus, Neminem sine accusatore damnari, *l. rescripto. §. si quis. ff. de munerib.* tamen certum est ex inquisitione sponte facta, per magistratum perspicacem damnari scelestos, *l. congruit. ff de offic. præsidis.* vbi ex fama vel notorio ipse ad purgandam malis hominibus regionem prosiluit, vel ex alicuius ciuium denunciatione, quæ nō habet inscriptionem eius, qui defert instar accusationis, *l. si cui. de accusati. ff.* sed admonitionem tantum, vt puniat post probationes inuestigatas, si velit, citra talionis metum denunciāti imminētis, *c. super his eod. tit.* Pōtifice id edocente, si modo nunciator assistat iis; quę notoria vulgò asserit, *l. 6. § nūciatores. ff. ad Turpili.* & huc spectare arbitror, quod dixi ab accusatione in proposito delationem separari, Iustiniano Augusto & Oberto autoribus: vt delatio, quæ generaliter patet, & accusationem cōplectitur alioquin, & cum ea confunditur, in *l. mulierem. vers. milites. ff. de accusat.* pro denunciatione simplici capiatur, cùm ibidem iurisconsultus mulierem deferentem in causa annonæ fraudatæ, exaudiat;

quæ *nunciatrix* dicitur in *l.fin.ff ad legem Iul. de anno.* minus itaq; noxia est nunciatio vassalli contra dominum, quàm solennis accusatio, si modo re ipsa iactura insignis delicti non sequatur; quippè qua secuta, nunciatio seu delatio apud magistratum vel fiscum facta, vt in *l.1.ff.de iure fisci,* feudum extorquet vassallo improbo.

18 † Sed an accusatio vassalli iusta faciat vt conuicto domino ęquè feudum applicetur? an verò sola vassalli calumnia punienda est; quod Accursius existimat, & sequaces permulti, cùm nocentum delicta innotescere oporteat. *l.eum qui.ff.de iniur.* Ego verò non puto, nisi dominus vel pater principi Reipublicæve insidietur; §. *causas.vt cùm de appell.cognosc.l.minimè.de relig.ios.* tūc enim impunè accusatur pater à filiò, dominus à vassallo: quinetiam cum pręmio mactatur in aliis autem personis per dominum offensis, damnove affectis, li. èt publicum crimen sit, id est, à quolibet accusari dignum, §. *1.de public.iudic.* vt homicidium, adulterium, & falsi, vel peculatus, facinora non temerè vassallo accusante vindicabuntur. nam & si expediat nocentum crimina detegi, non tamen quolibet accusante: quia nec filius contra parentes, nec libertus contra patronum, auditur, nisi suam persequeretur iniuriam vel damnum, *l.qui accusare.l.hi tamen.de accusat.ff.* idē quis meritò in vassallo statuat; quippè quem

pè quem deuinctiorē domino sciret, quàm parenti filiove, §. *si. hic finitur lex in feud.* nec ignorabit à domino lacessitum vassallum vicissim posse contendere, vt dominus proprietate priuetur, *caput. 1. qualiter domin. propriet.* præterea si crimen læsæ maiestatis exceperis, vox serui vel domestici funesta aduersus dominum postulatū reiicitur, & caput audax gladio amputatur, *l. penult. C. de iis qui accus. non poss.* Atqui cliens inter intimos & familiares habetur, *l. 2. §. final. cùm l. 3. ff. de vsu & habitat.* adeò vt dominus, qui olim *patronus* vocabatur, saltem post partem in officiis locum reuerētiæ obtineret, vt est in oratione M. Catonis apud Censs. in Lentulum, sicut A. Gellius tradit *lib. 5. cap. 13.* vbi quoq; subditur, frustum quoddam ex C. Cæsaris oratione, patrocinium pro cliente seu vassallo patronis incumbere asserentis: sicut vassallus quoque tutum & honestum domino procurare & præbere adigitur iureiurando, *cap. 1. de forma fidelit.*

† Ergo, inquies, in mala causa illum non 19
defendet in iudicio; ne ad malorum hominum tuitionem bona eloquentiæ cōuertat: imò verò multitudo vult, probat consuetudo, fert humanitas, teste Panætio, cui subscripsit Tullius *libr. 2. Officiorum*, vt nefarius & impius defendatur: *Iudicis*, inquit, *est semper in causis verum sequi, patroni nonumquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere.*

vnde aduocatus vassallus contra dominum in causa periculosa feudum amitteret, cum instar teli & loricę habeat forensis oratio, & propulset vulnera aut infligat, *l. aduocati. C. de aduoc. diuersor. iudicior.* non decet igitur lædere hoc prælio, quem armato protegere tenearis obiectu corporis, *capit. 1. quib. mod. feud. amitt. in 1.* nec obest quòd patroni filius aduocationem suscipiens, contra libertum reum ab alio factum, non amittit ius succedendi, cùm ipse non accuset: quia non talis necessitudo est inter libertum & patronum, vt alter alterius aduocatus esse teneatur, vel armis dimicare ac vitam exponere, vt diximus. Addamus vassallum domino, & è diuerso, teneri sacramento benè cupere domino, contumeliam, amissionem honoris, arcere, consilium præbere, impedire deniq; consilia inita contra tam necessariam personam, *cap. 1. de noua form. fidelit.* qua fronte igitur lingua eloqui venenis instructa accusatori aderit contra dominum, pro quo magis impunè præuaricaretur? nam & aduocatus vtcunq; eius pro quo verba facit, intentioné approbat, *l. fi. ff. de inofficios. test.* illic prorsus vbi qualitercunq; approbare vetuit lex, sicuti Paulus ibi aperit, si modo in facto non errauerit, *l. inter, de rei vendicat.* vel si necessitate publici muneris non excusetur, cùm sit fisci aduocatus, *l. 5. §. aduocatum. ff. de iis quib. vt indig.* ex quo sequitur in aliis aduocatis

eatis id genus excusationis non recipi. nec verò causari possunt se coactos à iudice, ex *l. necquicquam §. obseruare ff. de offic. proconsul.* quia non tam stolidus futurus est iudex, vt credat alicuius causam aduocato obstricto & amico eius, contra quem orare expediat, ita vt colludere possit.

† Multo minus liceret vassallo testimonium dicere contra dominum accusatum, *d. l. 5. § his vero ff. de iis quib. vt indig. l. qui cùm natu. § si tamen. ff. de bonis libertor.* aduocatus enim non ipse accusat, sed alienam intentionem exprimit, *d. l. qui cùm, § si patroni.* at testis quodammodò iudicandi origo est, cùm iudices ex probatis ferant sententiam vel repugnante conscientia, ne malo exemplo sit idem testis & iudex in eodem negotio, *can. de manifesta. 2. q. 1. l. 2. §. mirabile. C. de veter. iur.* itaque illiciti testis iudicem magis quàm aduocatus venalem eloquentiam palam habet. *Dionysius Halycarnasseus libro secundo*, exprèssè notat commune vtriusque, patroni videlicet, & clientis, fuisse, ne accusare alteri alterum liceret, nevè testimonio premere. & M. Cato apud A. Gellium: *Testimonium*, inquit, *aduersus clientem nemo dicit.* quod puto verùm, licèt cogatur à iudice audaci, maximè cùm de milite militarive causa agatur in feudis, & cùm miles inuitus testis esse nequeat, *l. 8. ff. de testibus.* vnde si violentus iudex perperam coegerit, 20

impunè peierabit lege permittẽte vassallus: vt Attilius Regulus, qui iurauerat Carthaginem se rediturum, *l.5.§. fi.ff.de captiu.* Sic è duob. malis minus eligitur, id est, periurium, si proximo impia crudelitate alioquin noceatur, *can. duo mala. 13. dist.* nouimus quidẽ illud Periclis Atheniensis rogati ab amico, vt in eius causa liteq; falsum deieraret: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μεχρὶ θεῶν: id est, *Oportet me amicis subuenire, sed vsq; ad deos.* Verum id obtineret, vbi amicus peierantis testimonio adiuuaretur ad alicuius ciuis oppressionem, non ad defensionem proprii capitis, vt videtur ab Augustino distingui *can. ne quid. 22. q 2.* accedit, quod iam antea vassallus sibi legem dixerat antiquiore iureiurãdo, ne quid incommodi domino afferret, neve allaturis assentiretur, *capit. 1. de noua forma fidelit.* ergo opituletur ei, ne detrimentum patiatur, non autem vt inferat aliis, si quid mihi creditur tãquam testi, quoad fieri potest, minime perfido. Lectoribus ergo quod dicitur, nihil dolo fecisse videri, qui iussu magistratus aliquid facit, *l. non videntur. § qui iussu. ff. de regul. iur.* non excusat vassallum: quia etsi pareat iudici imperãti testimonium dicere contra dominum, tamen quale dicat in suo habet arbitrio.

CAP. XI.

De alienatione feudi prohibita: quid de parte regni, de iure prælationis, de pignoris datione, permutatione, & aliis: de inficiatione, refutationeq; à vassallis facta; de corporis eorundem defectu.

NOTABILIA.

1 *Alienatio feudi ipsi domino prohibetur, & quando permittatur sine consensu vassalli.*

2 *Donatio Constantini Imp. Romani in Sylvestrum Papam, quatenus approbetur.*

3 *Regna sæpe diuisa commodè inter plures successores, iustis rationibus.*

4 *Cur princeps toto se abdicet imperio legitimè, & tamen partem distrahere nequeat, ita vt plus possit, non id quod est minus.*

5 *Dominus alienator feudi non ideo proprietate priuatur; & cur sic statuatur.*

6 *Dominus vendens curiam suam, in dubio feudum non creditur alienasse.*

7 *Quare magis alienatio vetita sit vassallo: tũ quid sit in libellum concessio, & libellus quando fiat.*

8 *Quid sentiẽdum dũ alienatur vel refutatur feudum in fauorem agnati, proximè aliâs successuri: quid si sit feudum nouum.*

9 *An ob necessitatem vrgente ære alieno, vassallus impunè feudum alienet.*

10 *Iꝰ prælationis domino seruari vassallo vẽdẽte: & feuda Gallis vulgò esse alienabilia.*

11 *Quid si vassallo condemnato à iudice fieri solutionem necesse sit, vel decreto actorem mitti in possessionem.*

12 *Quid etiam si multa soluenda veniat ex delicto patri accusatrici, vel fisco, regiq; delictis puniendis intento.*

13 *Vt valeat alienatio, scientiam vel ratihabitionem domini sufficere.*

14 *Improbari potest pro parte alienatio vassalli, vel firmari.*

15 *An alii vassallus feudum tradat; vel, vt aiunt, subinfeudet.* (raro potest.

16 *Feudum à vassallo pignori dari perquàm*

17 *Sed an permutari ab eodem valeat.*

18 *Quid de illo qui alienauit, nondum tamen tradidit.*

19 *Frustra redimitur feudũ qđ semel alienatur.*

20 *Inficiatio vassallo feudum aufert, & multiplex pœna mendicari iure inducta.*

21 *Quid si vassallus celet aliã domini, & quid sit celare.*

22 *Refutatione vassalli feudũ domino aperiri.*

23 *Non admittitur intempestiua refutatio vel dolosa.*

24 *Impropria refutatio vassalli non vergit in domini vtilitatem: et refutare videri, qui onus rei reiicit.* (lios gradiatur.

25 *Dum feudum antiquum refutetur, an ad fi-*

26 *Post refutationem etiamnum manet feuda-*

le vin-

le vinculum, vtcumq; inter dominum & clientem.

27 *Casu seu defectu corporis muti, caci, surdive, feudum aperiri: &, an liceat seruire per substitutum.*

28 *Erga imperfectã persõnã feudum nouum iure institui; quid sentiendum de antiquo.*

29 *An satius sit mutilas personas ex feudi nutriri prouentib. quàm hoc eas concedi vel relinqui.*

30 *Si miles bellando mancus fiat, non debet ei feudum auferri.*

NOTABILIA.

† ALienatione amitti feudum diximus, & quidem tam sæpe, vt verear ne lectorem tædeat prę satietate. Verùm eius discutiendi gratia prius de domino alienatura tractabimus; eò magis, quòd vassallo nobilior est, sed tamen feudum non temerè alienare potest. nam ex lege Cõradi factum est, vt sine consensu vassalli dominus nõ alienet feudum nisi distracta simul curia principali, §. *ex eadem*, *de lege Conrad.* vbi Accursius docet multa per vniuersitatem rectè distrahi, quæ non separatim, *l. quadam. ff. de acq. rer. domin. l. in modicis, de contrahen. empt. ff.* sed illic tot agitatur fluctibus definitio huius rei apud Obertum, vt nutare perpetuò videatur. nam in *fin. d. §. ex eadem*, innuitur ita demũ cùm curia impunè inclusum beneficium alienari & indistinctè, modò non alienetur in inferiorem & obscu-

riorem vaſſallo ipſo; verbi gratia, in ruſticum pecunioſum, de quo ibidem ſatis apertè dubitatur, niſi pro parte tantum alienaretur: quia venditori eo caſu totius fieret recognitio; & quiſque dedignatur inferiori domino aſſurgere; imò etiam pari, *l.4.ff. de recept. arbitr.* etſi ſit aſinus, vt notat Accurſius in *l. heres per, ff. de acq. hæred.* ideoq; per ſeruum hereditarium hæreditatis nihil acquiri poſſe, præſertim cùm nihili homines fortuna ludéte paulo altius euecti, plerunque intoleranda arrogantia inſoleſcant, audituri illud Flacci: *Quãuis ſuperbus ambules pecunia, Fortuna non mutat genus.* Proinde nec ſine curia feudum inuito vaſſallo alienabit in inferiorem, vel illi æqualem, ſicut habetur in *d. §. ex eadem.* modo igitur in ſuperiorem transferatur, nihil querimoniæ vaſſallo ſupereſt; modo, inquam, pro eodẽ feudo plures dominos habiturus non ſit. *§. firmiter, in fin. de prohib. feud. alien. per Feder.* vbi, vt obiter admoneã, videtur prima facie iniungi, ne dominus ſine voluntate vaſſalli feudum transferat. Idque generaliter prætermiſſa diſtinctione emptoris inferioris æqualisve aut ſuperioris. ſed certè non exiſtimo ego eam reprehendi: quia vaſſallus preſumitur conſentire in ſuperiorem ſe, cùm nihil illi depereat tali alienatione, *l. pater filium. ff. de legat. 3* & velle eum iura coniiciunt, qui velle tenetur. *l. neminem. ff. de legat. 2.*

† Vnde

† Vnde nonnullam vim accipere potest 2
donatio Constantini Cæsaris in Syluestrum Pontificem Rom. illius, inquam, Cæsaris, qui veneranda Christianorũ fide Rom. muniuit imperium, *l. diui. C. de natural. liber.* cuius in Papã munificentia describitur in *palea Constantinus. distinct. 96.* id est, in canone sola antiquitate cõspicuo. nam vt superius demõstraui, Græcis idem παλαιὸν, antiquum significat, vt antiquum Latinis *venerabile. l. 19. §. filius. ff. de captiu.* nec considero ibi consensisse eiusmodi donationi populũ: quorsum enim? cùm iam potestate exutus esset, translata videlicet in principem, *l. 1. de constit. princip. ff.* sed quòd in superiorem se ipso Cęsar transcripserat Rom. ditionem Bysantii imperaturus. quis enim res sacras nõ pręferat reliquis, quantum omnino sol Lunæ, animus corpori, præferri debet, *cap. solitæ. de maiorit.* & hoc innuit Iustinianus Imp. *§. sinimus, de nõ alien. aut permutand. rebus ecclesi.* vbi imperium & sacerdotium non multum inter se differre fatetur, & ab imperialibus munificentiis abundantiam facultatum in Ecclesiam promanasse. Vnde in trophæo erecto in Alpibus Honorii Octauii Augusti, talis fuit inscriptio, teste *Plinio libr. 3. cap. 20.* Imp. Cæsari Diui Fil. Aug. Pontifici Maximo; vt liqueat reges ipsos sacerdotis dignitate gauisos, quòd Isidorus retulit *can. cleros. §. Pontifex. dist. 21.* nec deinde dubium est, Ca-

rolum Magnum regem Gall. mox imperatorem Rom. ratam reipsa habuisse Constãtini liberalitatẽ, ac postea Ludouicum Pium eius filium *can. ego, dist. 63.* planè si in pietatis vsus tot reditus sedi Romanæ dedicati conuertãtur, iuxta optimorum principum placita, (quòd vt tandem fiat, Deum obsecro) non erit eidem inuidendum: & si quisquam inuiderit, sciat difficile esse regibus iugum legum imponere, & ipsis perferre: † cùm necessitas ipsa sæpe suadeat regna ingentia diuidi, quò facilius gubernentur, licèt feuda excellentia, qualis est Ducatus vel Marchionatus secari prohibeantur, §. *firmiter, in fin. de prohibit. feud. alienat.* ne labentibus annis increscente sobole in minutas ditionis atomos redigantur. Sed tamen Constantinus ille Magnus cùm produxisset imperium ab vltima Britãnia ad Indos, id diuisit in tres liberos suos: ita, vt Oriẽs vni, alteri Occasus cederet, & mediæ regiones tertio, vt refert Eusebius in vita eius. postea Theodosius æquè Magnus, Orientem Arcadio filio cum Roma noua assignauit, teste Zonara; sic enim *Constantinopolis* appellatur, *l.* 1. §. *Romã. C. de veter. iure.* Honorio autem Occidentem cum vetere Roma; vtriusq; autem Augusti edicta & leges in Codice Iustinian. passim leguntur: an fortè quòd diuisio tantum facta fuerit causa commodioris gubernationis, non vt geminum videretur imperium,

vt in *l. Caius*, §. *final. ff. de legat. 2.* sanè filii Clodouei quinti Francorum regis, primò Christi sacris imbuti, sic regnum diuiserunt, vt Childeberto Lutetia, Clotario Suessiones, Clodamiro Aurelianum, & Theodorico notho Mediomatrices, obtigerint, aduersus §. *naturales. si de feudo defunct. contentio* plerunque suadet pacis ratio atque alius fauor, vt regni portio quædam alienetur: vt dum Philippus Pulcher rex Francorum Isabellam filiam nuptum locaret Edouardo II. Anglorum regi, anno Christi M. CCC. IIII. doti duxit Aquitaniam prouinciam, non absq; rationis prætextu, quòd ea controuersa esset antea, & quòd eo fœdere reliquæ Galliæ, Angl⁹ præsumptum ius dimitteret, vt in *cap. final. vers. alia. de feudis*, vbi Innocentius III. Pontifex penè sic fieri suadet in feudis quę ægrè in fide retineri aut recuperari possunt prę aliena potentia: nõ aliter, tametsi maximè iurata fuerit regni alienatio, vt ab Honorio III. Pontifice Rom. rescriptum est in *cap. intellecto. de iureiur.* cùm in ea specie sacramentum aduersus publicam securitatem intercessisse existimetur.

4 † Permirum alicui videbitur & aduersus *l. 22. ff. de regul. iur.* licere id quod plus est ei, cùm non liceat minus, i. regni partem distrahere liberè, cũ liberrimè se abdicare toto possit imperio, postquã superiorẽ se do-

minũ nõ agnoſcit: nam in inferiore ſec' cõſtitutum didici, *l. legatus. ff. de offici. præſid.* ita cùm penes ſenatum populumq; Rom. ſumma eſſet poteſtas, vltro ſe omnes magiſtratus functione priuarũnt, *l. 2. §. & cùm placuiſſet. ff. de orig. iur.* ita Maximianus & Diocletianus depoſuere imperium priuata ſorte contenti, vt *libr. 9. Eutropius* ſcripſit in hiſtoriæ Rom. compendio: quibus Conſtantius & Galerius ſuffecti ſunt, vt Bonifacius *Celeſtino 5. cap. 1. de renunciati. lib. 6.* nam cùm princeps ſupremus ſe imperio abdicat bono ſucceſſore dato, nihil deperit Reip. ſæpe etiã commoditas publica augetur. at dum in fruſta diſſecat ditionem alienatione, euenit vt membra regni intercidant, & militaria ſeruitia deſerantur, *cap. 1. de prohib. feud. alienat. per Feder. l. 2. de omni agr. deſert. libr. 11. C.* proinde licet alicui plus, nõ autem minus, cùm diſſimilis ratio impulerit, vt cùm rem communem impunè vendo, *l. falsò. C. de communium rerum alien.* non verò ſeruitutem indiuiduam impono, *l. 2. ff. de ſeruit.*

5 † Videamus an dominus alienãs feudum ſuo Marte, proprietate priuetur: quòd non puto, quia tantum contractus redditur ipſo iure nullus, *cap. 2. quo tempor. miles inueſtitur.* idq; Baldo viſum eſt: meritò opinor. nã cùm pro non facto cõtractus habeatur, extra pœnã eſt *l. ea quidem. C. ſi mancip. ita fuerit alien. vt manumitt.* prẹſertim cùm facinus non admodum

modum tetrum appareat, *l.1.§. Ofilius.ff.ne quis eum qui in ius vocat.* aliter in maioribus flagitiis; vt si quis duas vxores duxerit, *l.eum qui. C.de adulter.* sunt enim turpitudinis & audaciæ varii gradus, *l. in actionibus.ff.de iis qui not. infam.* quocirca vassallus alienator inscio domino priuatur feudo, quia ipsum contemnere videtur. *§.fin.quæ fuit prim.caus. benefic.* aliter sentio, si dominus alienet; quia inter tam dispares personas à iustitia distributiua abhorreat, si quis par obsequium desideret: vt ecce (quoniam crebro dictum est, hoc fœdus coniugio assimilari, maximè in causis amissionis. *§ prædictis.eodem titul.*) vir & vxor socii sunt, *l.1.ff.de rit.nuptiar.* attamen maior est offensa in maritum quàm in vxorem, *l.palàm.§ quæ in.ff.eodem.* vbi Accursius adnotauit. nec quisquã de ea re dubitat. nec obest, quod domin⁹ eisdem causis proprietate multatur, quibus vassallus feudo. *§.domino si de feud. defunct.content.* quia ibi ostẽditur in domino vix feloniã propriè appellari: siquidem vassallum offenderit, nempè iniuria atroci, quæ in alienatione feudi, quam lex irritam facit, nequit inueniri.

† Attamen odiosa vtcunque est, ideo interpretatione restringitur; adeo, vt si dominus curiam vendiderit, non continuò censeatur feudum vendidisse, *capit.1.de capitan. qui cur. vend.* multo minus in generali alienatione vassalli. *§.in generali.si de feud.defun.* 6

cont. quippè cùm quilibet præſumatur in re communi ſua parte vti, non abuti aliena, *leg. merito ff. pro ſoci.* Cæterũ ex pretio metiri facilè poſſimus animum contrahentium, an curiam venditam feudum ſequatur, *l.1. ff. de reb. dubiis.*

7 † Delibata itaq; vaſſalli mentione, videamus qua ratione Lotharius ei feudi alienationem interdixerit, & quaten⁹: quia, inquit, milites exhauſti facultatibus ſeruire ſenioribus ſuis non poterant, nec curabant, *cap. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar.* lubrica námq; res eſt pecunia, plus argento viuo, atq; in ludum & comeſſationes facilè diſperditur, cũ res ſoli pudor diſperdere vetet. vt ex reditib. earum arma equiq;, non ſemel tantum, ſed quoties expeditio militaris iuſſerit, cõparari queũt pro defenſione Reip. vnde prohiberet Lotharius omne commerciũ feudi ſine domini aſſenſu, ſiue totius partis; ita vt ne in libellũ quidem fas ſit cõcedere, quòd & Federic. confirmauit, *c. 1. de prohib. feud. alie. per Feder.* nam antiquitus licebat dimidiũ feudi alienare inſcio domino, libelli tamen titulo, *c. 1. de alie. feud.* modo in eccleſiam non trãſferretur, nunquã ſcil. moriturã, cùm euidẽti domini incõmodo feudũ hoc pacto nunquam recuperaturi. at verò libell⁹ fieri dicebatur, cùm ita tranſcribebat feudũ, vt accipiẽs à vaſſallo eidẽ vilem penſionẽ duorum denariorũ pſtaret, *§. donare. qualit. olim poter. feud.*

feud. alte. vnde oriebatur duplex malũ: alterum quod ex tam exiguo reditu suppeditari nequibant arma equive bello gerendo apta: alterum, quòd vassalli clam pretiũ feudi accipiebãt, palã verò pensionem accedebant. & illud accedebat denique, quod inuito domino ibat feudum ad eius manus qui fortè inuis⁹ & inutilis domino foret. quod nec in emphyteusi lex recipit, *l.fin.C.de iur.emphyt.*

† Cæterùm non dubito quin paternum feudum in primũ agnatum liberè vassallus alienet specie potius refutationis, eò quòd ad illum feudum sponte iturum sit, *cap. 1. de alien.pater.feud.* vt in *l.1.C.de iis qui sibi ascrib.* etiam post Lotharii Federiciq; sanctionem. *§.sed etiam.per quos fiat inuestit.* quamquàm hic aliàs in *d.cap.1.* vsque adeò alienationem vetuerit, vt nullo tẽpore præscribi patiatur: proinde feudum nouum alienatum ad dominum illico reuertitur, *§.fin. quæ fuit prim. caus.benef.* si vero est antiquũ, venit ad agnatos vassalli, qui non consenserint, vel ratum habuerint, *d.cap.1.de alien.patern.feud.* 8

† Sed quid de alienatione necessaria dicem⁹, si fortè mole æris alieni obruatur, quę magis premere solet quàm vllus lapis Tãtali? constat quidẽ olim partem feudi licuisse vendere, sed non hodie, *c.1.qualit.olim poter. feud.alien.* idq; æquum puto, vt saltem adeatur comiter dominus à vassallo inopiam suã detecturo, & veniam coactæ alienationis 9

petituro, & demum exploraturo an sibi simili pretio feudum retinere expediat, vt in *l.fi. C.de iure emphyt.*

10 † Nam vbicunq; licita est alienatio feudi vel necessaria, dominus habet ius prælationis, nisi refutauerit, vel à tempore scientiæ anno vertente tacuerit. *§.porrò, qualit. olim poter. feud. alien.* quod in Gallia frequentissimum est; vbi feuda instar patrimoniorum alienantur promiscuè. nec dubium est hac in re consuetudinem præpollere, *cap.1.de feud. cognit.* nisi lege antiquetur, vt in *l.dudum.C. de contrah. empt.* vbi agnati quoq; ius prælationis habuere aliquando; & passim renouatum est ex *§. Sed etiam.per quos fiat inuestit.*

11 † Quòd si vassallus condemnatus esset à iudice magna pecunia, & propterea feudū executio sententiæ inuaderet, nō continuò priuaretur: quia iudicia feruntur in inuitos. *l.inter.§.1.de verbor. obli.* & subuenitur ei qui iubente iudice parêre tenetur necessariò, non illi qui vltro necessitatem incurrit, *l.si fideiussor.§.1.qui satisd.cog.ff.* nam

Necessitas, cuius cursus transuersi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt;

vt apud Macrobium dixit Laberius à C.Cæsare victore in scenam prodire iussus, excusat *l.2.C.de patrib.qui fili.distrax.* modò culpa non præueniat diram necessitatem, vt iam attigi, *l. quemadmodum.§.idem Labeo.ff.ad leg. Aquil.* vt si vassallus per cōtumaciam nolit

lit cauere de dãno infecto alii, qui ideo mittitur in possessionem prædii feudalis ex secundo decreto: si modò commodè cauere possit. & certum est ex primo decreto non transferri dominium, vel vsucapiendi conditionem, sed tantum tædium contumaci, *l. si finita. §. Iulianus. §. si de vectigalib. ff. de damno infec.* de quo dixi Dialogo 19. ergo is qui possidet ex secundo decreto, illæso iure domini, vassalli assuetos prouẽtus capiet. nam & ibi Accursius idem in feudis quod in vectigali prædio vel emphyteutico respondit. nec tanti facienda est reuerentia debita domino, vt propterea iuri publico derogetur, & detur ansa malignãdi impunè vassallo: nec ex ea dominus fiet locupletior præ illo cui nocetur, licèt Bart. repugnet, eò quòd videat vassallum ob culpam insignem feudo quidẽ multari, sed id, vt ipse ait, non offenso addici. sed magis aut domino aut agnatis iuxta distinctionem *cap. 1. an ille qui interfecit fratr. domin.* Planè facilè est ei, qui ex decreto iudicis possidere feudum vult, mederi domino, rationibus, quæ dominum comitantur, vt videlicet dominus ipse feudum capiat, tamquã à vassallo refutatũ & habitũ pro derelicto, & caueat deinde aduersario, *l. euenit. de damn. infect.* nam & alienatio in refutationẽ libẽter degenerat, *cap. 1. de alien. patern. feud.* & cùm hoc modo necessaria est præter legẽ, recipitur *l. 1 ff. de fundo dotal.* aut imputet sibi

dominus, cur se vassallo ita moderatum prę-
stiterit: quia penè nouum vassallum consen-
sione sua videtur accipere, cum eum siuit in
possessioné mitti, cui obuiã ire facilè potest.
12 † Quod si ex delicto vassalli bona eius fi-
sco applicanda veniant, tamen feudum vul-
gò negãnt accedere, cùm ad dominum vel
ad agnatos reuertatur, prout delictum illũ
vel exteros pupugit, *d.c.1. an ille qui interfec. fratr. domin.* quod sine dubio verum esset, si
multa quædam inflicta esset vassallo, quæ sa-
tis ex aliis bonis colligi quiret, cùm feudum
eximatur ab alienatione licet generali, §. *in generali. si de feud. defunct. cont. sit.* sed si vas-
sallus nihil præter feudum haberet, veren-
dum esset ne non aliquid fisco applicaretur,
cum multæ ex delictis cõpendii regalis sint,
capit. 1. quæ sint regal. at in omni sacramento
fidelitatis excepta videtur persona regis, *ca. 1. de noua forma fidelit.* §. *final. de prohib. feud. alien. per Federic.* nec cuiusquam magis in-
terest infidos & scelestos puniri quàm prin-
cipis, cui salus Reipubl potissimùm credita
est, *l. 3. ff. de offic. præfecti vigil.* quæ in pu-
niendis illis maximè versatur, *l. licitatio. §. quòd illicitè. ff. de publican.* vnde necatus à
plebe traditur Tatius rex Sabinorum, quem
Romani regni cõsortem Romulus fecerat;
quia sexto demum anno non esset passus a-
micos aliquot suos puniri, qui cùm non par-
uã latronum manu prædam in agrum Laui-
niensem

niensem fecerant, Romulo pœnas exigente: eò crebriùs quod Lammiorum legati res repetituri violati contra ius gentium dicerentur, vt *Dionys. Halycarnasseus libr. 2.* prodidit. & Romulus ipse fratri sanctitatē murorum violanti non pepercit, *l. fi. ff. de rer. diuis.* vt aliquid plus legi latæ, quàm sanguinis necessitudini tribueret.

† Cùm quęritur, an expressus domini cōsensus requiratur, vt impunitatem alienādi vassallus habeat, Accurs. placet, in *c. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar.* vbi permissionis dominicæ mētio fit, sufficere tacitū consensum vel scientiā: idem respondi de facto cōsult⁹. quia sciētia domini sine alio titulo prodest in feudis, vt totum ius p̃scriptione tollatur, §. *si quis per. si de feud. defun. cont.* quantò magis vt seruato iure domini res transferatur? & imputatur ei qui scit, tacet, nec repugnat in iis quæ sibi nocitura existimat, *l. 2. §. fi. ff. solut. matrim.* deinde si parui tēporis negligentia instar ignorantiæ domino non nocet, §. *fi. si de inuestitur. inter domin. & vassall. lis oriat.* igitur sciētia vera nocitura sit. Nam licèt iniurius videatur vassallus alienans inconsulto domino, §. *final. quæ fuit prim. caus.* tamen iniuria remittitur dissimulatione & patientia, §. *final. de iniur. Institut.* & semel remissa non reuocatur iure ad animum, *leg. si vnus. §. pactus. ff. de pact.* Quocirca cùm in delictis, vt in aliis negotiis, 15

ratum habens id, quod perperã gestum est, sit mandãtis loco, *l.1.§.sed & si cũ.ff.de vi armat.* dominus resciens factam alienationem atq; approbans aliquando, queri rursus non potest; maximè cùm liceat cuiq; iuri impugnandi renunciare, *l. filio. ff. de iniust. testam.*

14 † Sanè licebit domino vel totam alienationem temerè à vassallo factam improbare, vel pro parte tantum; quia pro parte vassallus alienans ea sola priuatur. *cap.* 1. *de vassall. qui contra constit. Lothar.* & eadem est ratio finis ac principii. *l. in action. de in litem iurãd.* & in quibusdam negotiis pro parte peccari potest, *l. 4. §. Cato. de verbor. obligat.* interea quoque opinio vassalli ac pudor oneratur si partem alienet qua multatur. § *illud. quæ fuit prim. caus. benef* cuiusmodi nota est in *l. 2. ff. de obsequiis.* ergo quod dicitur in *d. §. illud.* vassallum qui partem alienauit feudum retinere, ad partem incolumẽ respicit, in qua nihil peccauit. vt cùm dixit Iuriscõsultus flumen ex vno latere proruрisse; id est, pro parte, *l. adeo. §. insula. de acq. rer. domin* sic hæres, id est, pro parte, *l. 2. famil. hercisc.*

15 † Sed an vassallus vassallum sibi facere alium possit, ac in feudum rursus concedere & inuestire, dubitari potest, cùm hoc ipsum sit alienare, §. *sed etiam. per quos fiat inuestit.* sed tamen permittitur quamuis post Lotharii asperrimam prohibitionem, vt liquet *ca. 1. vers. si verò, qualiter olim poterat feud. alien.*

vbi

vbi tamen fraus omnis prohibetur, & syncera recipitur concessio à vassallo, faciũda nẽpe in militem idoneum, §. *si vassallus. vers. beneficium. si de feud. defuncti content.* nam & si domini fauori hoc concedatur, vt se inuito vel inscio nihil alienet vassall⁹, tamẽ in eiusdem domini odium ingens hoc priuilegium traduci non oportet. *l. 3. §. finge. ff. de Carbon. edict.* atqui eiusmodi alienatio vassalli domino commodissima est, vtpotè cùm posterior vassallus obnoxius fiat non tantùm ei, à quo feudum accipit, sed etiam superiori domini suo domino, §. *illud, de prohib. feud. alien. per Federic.* sic euenit cùm cõductor ædium eas deinde alii locat, *l. solutum. §. solutam ff. de pignor. action.* modo in licitos & cõsuetos vsus transferat. *l. æquiss. §. fi. ff. de vsufr.* ideò libelli contractus vetitus fuit, per quem vassallus pẽsiunculam exigebat à suo vassallo, vel colono potius securus militię, siue in curte domini haberet feudum, siue alibi. §. *fin. quibus mod feud. amitt.*

† Ibidem prohibetur pignoris datio, vt *l. fin. C. de rebus alien. non alien.* & apertius §. 1. *de prohib. feud. alie. per Feder.* vbi nec pro parte quidem vllum commercium recipitur, cùm debitor qui rem pignori vel hypothecę dedit, obrutus fasce ęris alieni dũ ad luendum veniet, cogatur sæpe vendere. Nec, vt puto, dabit pignori feudũ, vt arma & equos comparet, vt dominum in bellum sequatur, 16

si deinde dominus ratum non habuerit, sed ex feudi fructibus satisfiet creditori, qui non debuit ignorare eius, quo cũ contrahit conditionem, *cap. 1. an agnatus vel fili. defunct. l. qui cum alio ff. de regul. iur.* & satius est semel vassallum retardari quàm sensim feudum comminui, si semel pignori detur, quoad in alienationem prosiliat, iuxta *l. 4. ff. de pignorat. act. l. oratio. ff. de sponsalibus.* Sanè verò benignè agerem cùm vassallo, si ingens feudũm pro paruo ære obligasset, vt facilis esset repigneratio; quia tunc modica alienatio sequeretur particulæ fundi, pro qua tantùm puniendus veniret, *cap. 1. de vassall. qui cõtra constit. Lothar.* Interdum vassallo prorsus ignoscerem, si perspicuè intelligeretur de feudi reditibus corradi summam posse illico, qua solueretur obligatio pignoris, *l. si quis, in §. si. ff. de pignor. acti.*

17 † Videamus an transigere liceat vassallo; &, quia transactio aliquo dato, vel promisso sit, *l. transactio. C. de transact.* distingui solet, vtrum vassallus feudum retineat, vt tunc valeat pactio, qua nihil domino deperit; an vero feudum transferat aliquid accipiens, vt tunc irrita fiat, & ita intelligunt *capit. 1 de controuers. inter vassallum & alium.* vbi excipitur fraudulenta transactio, & procul reiicitur. Attamen in §. *si vassallus, in fin. si de feudo defunct. contentio sit inter domin. & vass.* apertè approbatur transactio, in

qua

qua vassallus quicquam accepit feudum interim dimittens: nec id quod accepit, feudi instar habetur, licèt iudicium ventilari dominus ignorauerit. Cæterùm putem hunc locum accipiẽdum, dum eo iudicio non disceptatur de summa feudi, sed de quibusdam accessionibus, quib. amissis feudum nihilominus vassallus retinet, siue det pecuniam vt à lite discedatur, siue accipiat ab importuno vexatore: quod sępe accidit, cùm actor se vincendum præuidet, & litis audacter à se institutæ impendia luiturum: nam cùm aduersarius feudum auellere tẽtat à vassallo, dominum certiorem fieri necesse est, Oberto & aliis sapientibus hortantibus, *cap. 1. si de feudo vassall. ab aliquo interpell.* aliàs sentẽtia vel transactio nocitura esset vassallo soli, non domino, *l. de vnoquoq;, ff. de re iudic.*

18 † Permutare nõ licet vassallo; cùm sit eadem ratio permutationis, quæ venditionis. *l. sciendum. §. pe. ff. de ædil. edict.* sic, licèt ratione alia, domini quoq; ipsius cãbium reiicitur, *c. si quis. quo tempo miles inuestit. petet.* verbum est sanè putidum, sed auro permutari dignum, propter vsum Gallorũ; ideo vassallus difficilius cambiet. nã & accepta pecunia numerata permutatio erit, si nõ vt pretium detur, sed sine cõsensu vendendi, qui omnes cõuentiones quocunq; dirigit, *l. 3. de action.* vt euenit in *l. ita. de iure dot. l. cùm ii, § pen. de transact. ff.* & ita in Dialogis explicui. *l. fin. ff.*

de condict.caus dat. Item vbicunq; permutatio permittitur vtilitatis gratia casu singulari; tunc eum pręcedit potiorum diligens inquisitio, *Auth.item sibi.C.de sacrosanct.eccles.* quocirca domino offerri debet, vt exquirat quatenus profutura sit feudi permutatio.

19 † Quod si vassallus feudale prædiũ, quod inconsultè vendidit, nõdum tradiderit, magis est vt ei ignoscatur; quia dominium non transtulit, *l.traditionib.C.de pact.* & voluntas sine effectu offensæ non admodum contumeliosę impunè illi cedet, §.*si voluerit, de capitan: qui curi. vendid.* licèt fatear consensu perfici contractum, ne fas sit pœnitere, *l.necessariò: de pericul. rei vendit.* sed conatus ille & consilium non adeo turpe est, vt pœnam sufferat, non magis quàm in locatione consensu solida, *l.qui aute. ff.de iis qui not. infam.* Inde, vti suspicor, inferet aliquis feudo ex permutatione tradito non puniri vassallum priusquam vicissim aliquid acceperit: cùm in hoc contractu licet datum condicere ex causa non secuta, *leg.5.§.1.ff.de præscrip.verb.* saltem ex solo capite pœnitentiæ, *l.3.§.1.ff de condict.caus.dat.* quod si quis obiiciat pignori dantem, feudum amittere, quamuis liceat refusa summa à contractu abire, & feudum recipere pignoratitia actione, *capit.1.de prohib. feud. alien. per Federic.* nam qui pignori opponit, non modo prædium dat, sed etiam accipit pecuniam.

† Quod

† Quod si alienatio consumetur traditio-
ne feudi, non prodest vassallo recuperasse,
non equidē magis quàm in deposito, in quo
summam fidem veteres desiderarunt. *l. 1. ff. depos.* §. *si rem depositam. ead. l.* quia deponēs
fidem probat, & sequitur, amici à quo cir-
cumueniri nefarium sit, & similiter feudum
à fidelitate originem accepit, §. *final. per quos fiat inuestit.* ecquomodo pristinum ius reci-
piet recuperator feudi semel distracti con-
temptu lacessens dominum, cùm nec è mili-
te factus clericus denuo rediens ad militarē
sectam, feudi compos efficiatur. § *pen. de feu-
do famin.*

† Persequamur reliquas causas feudi ape- 20
riundi, quarum non vltima, est inficiatio, a-
lienatione peior: nam non modò transfert
iniussu domini feudum, sed etiā prorsus au-
fert, & radicitus euellere tentat, vnde iure
quoque Romano autori suo inulta non est,
cumq; priuilegio spoliat, *l si dubitat*, §. 1 *ff. de
fideiuss* si modò vassallus dolo malo iam nul-
la dubitatio, probabili causa excusabilis ne-
get id quod possidet feudi iure censeri, §. *fi.
de lege Conrad.* at verò potuit interdum ob-
repsisse obliuio, longo fortassis tempore nō
interpellato à domino ad obsequium præ-
bendū. §. *licet. si de feud. defunct. content.* cùm
sit res valde lubrica memoria vnde veniam
meretur si fraudis expers fuerit, quamuis fa-
cti proprii oblita. *l. peregrè. ff. de acq. poss. l. sed*

si me.ff. de condict.indeb. multo magis in alieno facto, si vassallo hæres accitus sit. §. *sed tamen. de vsucap. cap* 1. *de controuer. inter domin. & empt.* dubitanter ergo respondenti venia parata est. § *si vassallus, si de feud. defunct. content.* nam qui dubitat ignorantis loco est. *l si, C. de condit. indeb.* aliàs sicut os quòd mentitur, occidit animam, vt habetur *Sapient.* 1. *capit.* ita occidit feudum, §. *si vassallus. si de feud. defunct. contentio.* vbi à pœna Obertus eximit eum, qui non patefacit domino fraudem alterius vassalli inficiatoris, vel qui aliam rem domini celat: quia non continuò feudum aperit, cùm de ipso nō sit mentitus: nec pœna egreditur limites delicti, tum alibi, tum in mendaciis. §. *illud.* 2. *de trient. & semiss. collat.* 3. vbi qui conuentus à creditore communis debitoris negat se hui[9] rem possidere, si mox cōuincatur, possessionem eius rei amittit, in aliam quamuis ius suum persecuturus, vt in eandem cuius possessione multatus est, vt *l. final. ff. de rei vendic.* planè vassallus plus possessionis nudæ commodo perdit per inficiationem, quia irreuerens est in dominum, cui assurgere debuerat, & omnia delicta acerbiora ab iis putātur, quos lex nobis deuinxerit strictius, *l. capitalium. §. omnia. ff. de pœnis.*

21 † Quòd verò dictum est, vassallum impunè celare vel nō patefacere aliā rem domini, sic demum verum est, si non de ea fuerit interro-

terrogat⁹: ita vt non propriè celare videatur, sed magis nõ indicare & non reuelare spõte sua, vt in *l.3.§.final. ff. quòd vi aut clam.* variè enim id verbum vsurpatur dum silentio & incuria facinus tegit; sed propriè celat interrogatus & mendax, *capit.1.si de inuestitur: inter domin. & vassall. lis oriat.* ad hęc apud Iurisconsultum idem notatur, *l. qui vas. §. qui furem. ff. de furt* & apud Ciceronem libr.3. Officiorum, ex Diogenis Babylonii persona loquentem: *Aliud est celare*, inquit, *aliud tacere: neq; egomet te celo, si non dico quæ natura deorũ sit. nec quicquid tibi vtile est, id mihi dicere necesse est.* Cęterùm & inuidum silẽtium vassallum argueret improbitatis, si sciret domino iacturam grandem patrimonii impẽdere, nec sedulò detegeret, *§. item qui. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* quia offendit eo ipso dominum, & suum fidelitatis sacramentum. *§. ego iuro de noua forma fidelit.* amoliri namq; debet omnes machinationes aduersariorum domini, licèt circa ipsum feudum non versentur: atq; ita deierat.

† Refutatio nunc sese offert domino itidẽ feudum addicens, quòd vassallus respuit. 2.
Olim hoc genus reiiciendi feudi vix admittebatur, *capit. 1. qualiter olim feud. alienar.* inuito enim domino non reddebatur beneficium, sed postea receptum est, *capit. 1. de vassall. qui contr. constit. Lothar.* nã & si maximè delinqueret vassall⁹, pl⁹ feudi amissione

non puniretur domini solius respectu: quãuis refutans aliquãdo lacessat dominum seruitia prædiorum emolumentis præponentem, impunè faciet hoc pacto nimirum semet vltro vassallus vlciscitur, tametsi certa seruitia domino spoponderit, vt § *fi.de capit. qui cur. vendid.* & licèt fatear in feudo nõ esse pœnitentiæ locum à perfectione, §. *si facta.si de feud.defunct. content.* nõ magis quàm in venditione, nisi vtriusq; consensus intercesserit eorum, qui contraxerunt re integra, *l.1.C.quando liceat ab empt.disced.* sed ei fas est pro derelicto habere quiduis, qui onus subire tenetur contemplatione alicuius prædii siue rei, & ita se exonerare ac domino proficere, *l.prætor.§.fi.ff. de damno infect.* maximè cum seruitutem debet, *l. & si fortè.§.Labeo, si seruit.vendic.ff.* vbi Labeo respondit, ei qui debet seruitutem oneris ferẽdi, & sic parietem seruilem reficiendi, fas esse ipsum domino derelinquere, cũ res, non persona seruiat. At, inquies, in feudo igitur aliud statuẽdum, cùm persona seruire magis videatur. Fateor vtique, sed seruit persona rei respectu; quia dimissa infestari nequit, nisi quatenus de industria vel ignauia deteriorem fecisset, *l. cùm fructuarius. cum l. sequenti, ff. de vsufruct.*

23 † Præterea si refutatio in fraudẽ domini facta fuisset, nempè intempestiua, domino iustum bellum procinctum mouẽte, ne cogatur

gatur in bellum comitari, iuxta sacramentũ fidelitatis, vt fertur fecisse Vlysses simulata insania, & damnata in *l. obseruare. ff. de curator. furios.* non auscultarem ei, nõ plus quàm Palamedes dux Græci exercitus, vel Iuriscõsultus in *l. 4. §. qui post, de re milit.* Quòd si nõ perspicaci prudentia Palamedes ille

Istius percepset malitiosam audaciam,
Fide sacratum ius perpetuò falleret,

vt dicebat Accius in Aiace, *l. actione. §. Labeo. ff. pro soci.*

Insuper si vassallus pòst commissam feloniam immanem vellet renunciare feudo, vt magis vltro cessisse crederetur quàm expectare notam iuris, nõ audiretur, *l. is cum quo, de aqu. pluui.* nam ne facinerosis libera mortis facultas permittitur à iudice, *l. aut damnum. §. 1 ff. de pœn.*

† Et hæc de expressa veraque refutatione dicta sint; quia altera est impropria, vt cum vassallus feudum transfert in agnatum, qui in paterno proximè successurus foret, *cap. 1. de alien. pater. feud.* Item cum vassalli agnatus renunciat feudo nondum delato in gratiam agnati alterius, & omnino refutat, non tamen in fauorem domini, *cap. 1. de eo qui finem fecit agnat.* Denique puto abundè videri refutasse feudum, qui pertæsus est seruitia ei apposita. nam lucrum spernere creditur qui commodum illi adnexum reiicit, *l. proinde. ff. de reb. cred. cap. 1. de vassall. milit. qui* 24

arm. Addo tandem, non esse veram refutationẽ à vassallo factã, vt dominus filium eius inuestiat, *c.1.de vassall.decrepit.ætat.* iam enim antea vassallus omnia bona sua verisimili desiderio liberis suis acquirit, præsertim feudum, §.*final.in quib.caus.feud.amitt.* ideoque tale feudum paternum censebitur, non vero nouum, quòd semper refutatione ad dominum reuertitur.

25 † Planè antiquũ refutatione liberis prius deferri Zasius & alii asserunt: quòd mihi vix constat, cùm in *d. capit. 1. de vassall. decrep:* expressim lex refutationi dicta esset, vt ad liberos transscriberetur, perinde ac si non expressa conditione aliud statueretur. & pater recusans ac repudians, viam præcludit posteritati suæ defuncto charissimæ, *leg.* 1. *C.de iis qui ante apert. tabul.* accedit, quòd ieiuna videtur refutatio à vassallo facta, acquisitionem filio eius continens, vel nolente domino. *l.Iulianus.ff.si quis omiss.caus.*

26 † Tanta autem est necessitudo inter vassallum & dominum, vt post refutationem vestigium aliquod sui relinquat, saltem ne offendat dominum, quem iam defendere non obligatur, §.*final. de vassall. qui contra constit. Lothar.* quippe cùm honestum illi iuratus promisisset, *capit. 1. de forma fidelit.* at refutans feudum tanquam inutile beneficium, satis dominum contempsisse videtur, nisi offensionem leniret feudi recepti

com-

compendio: interim ergo caueat vassallus, ne temere rursus eundem irritet, pristini officii recordatione obstrictus, vt docet Accursius.

27 † Superest casus seu defectus corporis in vassallo, vt feudum aperiatur, *capite 1. an mutus vel al.às imperfect.* sanè vbi verba autoris intimè rimabimur, aliud sentire intelligetur: mutus & surdus, cæcus, claudus vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum paternum feudum retinebit: Obertus, Gerardus, & multi alii: Quidam tamen, inquit, dicunt eum, qui talis natus est, feudum retinere non posse: quia ipsum seruire non valet. Sic dicimus in clerico, & in fœmina & in similibus. Ecce qualiter feudum retineri posse ab huiusmodi personis asserit, eò quòd ipsis multò magis per substitutum seruire licebit, quàm eis, qui bello per corporis soliditatem interesse licet; qui tamen dant substitutum, &, vt sic dicam, per procuratorem sunt valentissimi, §. *firmiter. de proh.b. feud. alienat. per Federicum.* & dum stipulor ab aliquo id quod fieri per ipsum nequit, per alium explere poterit, vt me docuit Venuleius, *leg. continuus. §. si ab eo. ff. de verborum obligation.* vbi nonnihil commodè attulit Accursius. sed ea lege recipio substitutum, vt is à quo datur, obligatus sit,

ſi quid perperã patretur, *l.1. de præposit. agentium, lib. 12. C.*

28 † Ex quo fateri neceſſe eſt rectè concedi muto, cæcove, aut aliter imperfecto, & mutilo, feudum: eò potius, quòd talem videns dominus noui feudi inſtitutor gratiã ei facere creditur, *l. ea quæ, ff. de cõtrah. emt.* quòd ſi feudum antiquum ſit, perſeuerabit in mutum aut cæcum, vt dominium, vt magiſtratus, *l. 1. §. quãuis, de poſtul. l. qui furere. de ſtat. homin.* ſic in impubere filio relicto à vaſſallo, pro quo ſeruiet alius, §. *ſi quis deceſſerit. ſi de feud. defunct. content.* non enim in feudis electa eſt induſtria perſonæ, vt in *l. inter. ff. de ſolut.* cùm vaſſallo & hæredibus eius deſtinetur. Quamquam fateor impuberi nullũ exprobrari defectum, cùm omnes & ita naſcamur nec obmuteſcenti dum moritur, adducor, *l. cui Deus. ff. de ædil. edict.* Proinde in *d. c. 1. an mutus vel alias imperf.* poſterior opinio illorum, qui dixere feudum à muto, ſurdo, claudove minimè retineri, exemplo fęminę vel clerici, exibilatur, & vt nihili res commemoratur, quamuis poſterior, vt §. *ad hoc. hic finit. lex; deind. conſuet.* nec iuuãtur exemplo clerici, quia ſponte, non aduerſo caſu fit inhabilis, *cap. 1. de vaſſall. milit. qui arm. bellic. depoſũ.* quocirca illius miſerta eſt lex, nõ huius, *l. ſi fideiuſſor. §. 1. qui ſatisd. cog. ff* fæminæ etiam parùm opitulatur: quia finis ſit paternæ familiæ, *l. familiæ. ff. de verbor. ſignific.* atq; mutus,

mutus, surdus, cæcus, liberis suis masculis nomẽ domus vnà cum feudo rectè dabunt, cùm nuptias iure celebrent, *l. mutus, ff. de iure dot.* feudum autem nouum à sciente prudenteq; domino in clericum fæminaq; recipi tempestiuè ostendimus.

† Quod itaq; alibi habetur, mutum prorsus, & sic surdum simul, vt plurimùm, *l. discretis. C. qui test. am. facer. poss.* feudum non retinere; sed hoc ad dominum reuerti: atq; si feudum magnum sit, ex eo mutum ali. § *fin. episcop. vel abbat.* vel ad eum pertinet qui nõ dat substitutum, vel ad illum qui spe sobolis destituitur, & priuatam calamitatem in perniciẽ reipub. reiq; militaris conuertere non debet: vel certè Oberti Gerardiq; sententiæ repugnat æquæ admodum, vt patefactum est superius, ideo amplectendæ: tametsi textus subiungat *d. c. 1. an mutus surd* quosdam diuersum putare: fateor, sed mala ductos cõiectura, *vt l. 1. §. fi. ff. de eo per quem fact. erit. §. si vassallus, hic finit. lex; deind. consuet.* 29

† Quod si mutilus pugnare adhuc posset amissa manu, vel mutus surdusque, nullum alium peterẽ, qui pro ipsis belligeraret, nec pro impubere, qui fortè ꝓpter generis splẽdorem copias duceret, *l. fi. C de testam. milit.* maximè si in bello id vitii contraxisset, cùm in eodem mortuis, eorumque cognatis tantopere faueatur, *§. 1. de excus. tut.* atque vt alii imposterum alacrius in prælia confertosq; 30

hostes irruant, & muti pleriq; Martem manu, nō lingua metiti sint, & claudi etiam, eò ad fugiēdum ineptiores. sic M. Sergius à Plinio commemoratur clarus & debilis miles, amissa sinistra manu, multis pręliis, dextram sibi ferream fecisse, & ęquè feliciter pugnasse; questus eleganti oratione, cùm in prætura sacris arceretur à collegis suis, à quibus, me iudice, arceri non debuit, quæ seruasset, *l. amiciss. §. final. de excus. tutor. ff.* nam & quamuis interdictum sit seruis militari dignitate, *l. final. qui milit. poss. libro duodecimo, C.* non iis tamen qui propter militiæ causam serui facti fuerunt, bello scilicet capti, dum strenuè dimicant, quos iura potius priuilegiis & honoribus prosequuntur naturali æquitate, vt ius postliminii & lex Cornelia testantur, *l. in omnibus. l. seq. ff. de captiu.*

CAP. XII.

De actione ex contractu feudi nascente; & de pænitentia in eodem: de probatione, de testibus, instrumentis, iureiurando, de iudicibus, de paribus curiæ, de laudamento.

NOTABILIA.

1 *Quanam actio nascatur ex contractu feudali ante, vel post traditionem.*

2 *Conditio ob causam cōpetit aduersus vassallū non*

non seruientem, sed tantum ex capite causæ non secuta: & , an sit conuentio nominata.

3 *Olim semper licuisse pœnitere in feudo ei, qui dederat; & pro eo in rem agi similiter.*

4 *Emens scienter à vasallo feudum, non habet de euictione actionem, quamuis promissa fuerit.*

5 *Vtrum dominus ab emptore feudum vendicet potius, quàm in personam agat.*

6 *Interdicta pro feudorum possessione concessa.*

7 *Quot modis feuda probentur, & qualibus testibus, exclusa fœmina.*

8 *Pares curiæ maximè idonei testes, quorum, vbi est penuria, ex ratione loci alios admitti.*

9 *Præsumptio an pro domino magis quàm pro vasallo militet; & , an allodialis res in dubio putetur.*

10 *In obscuris possessori fauet præsumptio, & pro recta natura feudi.*

11 *Probatio fit literis seu breui testato; quid sit* testatio, & breues.

12 *Iuriiurando multum probationis inesse in feudis, adeò vt nec illud retractetur quod supplendæ probationis causa defertur à iudice.*

13 *Diuinum iudicium vomeribus ignitis & & feruente aqua fieri solitũ, vetustorum*

14 *Regem esse supremum iudicem, vel Imperatorem, nequaquam mundi dominum, eumq; de feudo ligio primum, vel de alio ex appellatione, ius dicere.*

15 *Pares curiæ quales fuerint, & qua origine; cuiusque fraternitatis eorum censeretur sodalitium.*

16 *Pares inter dominum & alium vassallum iudicant, & quod cliens contra dominum agat in iudicio salua reuerentia.*

17 *Vassalli contra exterum acturi iudicem, ordinarium adeant; secus, si inter se disceptent, cùm eos esse vassallos nō dubitetur.*

18 *Quid sit dominum vassallo cuipiam garentizare, quid laudare, & laudamentum iudicum.*

1 † QVoniam vulgò vereq; proditum est neminem sibi ius dicere posse aut rē amittere. *l pen ff. ad legem Iul. de vi priuat.* nisi quatenus lex permittit ob nimiam securitatem eius, qui legem negligit. *l.* 1. *C. quando liceat vnic. sine iudic.* vsque adeò, vt permittat vassallo agere prædas in dominum, § *fin. de milit. vassall. qui contu. est:* Idcirco videamus qua actione pro feudo experiamur. Et si quidem stipulatione feudum promissum sit, ex illa agetur: quia firmat omnes contractus, licèt innominatos, *l. ex placito. C. de rer. permut.* vel nominatos, qui re sola fiunt. nam ex sola stipulatione agitur, *l. cùm enim. ff. de nouati.* vel dubios, lege roboratos recenter,

vt

vt donationem olim euanidam solo consensu, hodie ex lege condictione firmatam, sed validius stipulatione, *l. si quis. §. fi. C. de donati.* Si verò stipulatio non interuenerit, sed sola promissio, feudum non produxit actionem sine traditionis specie aliqua, id est, sine inuestitura, quæ præcedit possessionem, *capit. 1 quib. mod. feud. constit. cap. 1. quid sit inuestit.* & eo minus solo consensu obligat; quod, vt vtrobiq; patet, duplex traditio feudi morib. desideratur, cum alibi vnica, vel ficta tãtum, sufficiat. *l. 1. § pen. ff. de acq. poss.*

2 † Quamobrem pro feudo datur condictio ob causam domino cõtra vassallum seruire cunctantem, *cap. 1. de feud. sine culp. non amitt.* Licuit quidem domino eundem expellere, *§. sed non est, quæ fuit prim. caus. benef.* cæterum licuit quoq; mitiore actione vti, *l. ea lege. C. de condict. ob caus. l. fin. ff. de furt.* At dicet quispiam, non mirandum hoc, cùm & in venditione celeberrima conuentionum condictio ob causam competat, *l. cum te. C. de pact. inter empt.* verum ibi erat prius venditio, substantiam integram habens, consensus, rei, & pretii. estq; præterea adiectum pactum cuius contemplatione res venierat: nos verò loquimur de feudi solo contractu instar, do vt facias. nam datur prædium ob homagium & seruitia, *§. fi. in quib. caus. feud. amitt.* vnde ex implemento nemo negauerit actionem præscriptis verbis, cum causa

subsit, *l. iurisgentiũ. ff. de pact.* & cũ ad repetitionem feudi dati cõpetat cõdictio, *l. 5. § 1. ff. de praescr. ver.* plane illud singulare est in feudo, quod ei qui impleuit cõdictio causa data permittitur, ex capite tantũ causæ non secutę, nõ ex altero pœnitẽtię, *§. si facta, si de feud. defun. cont.* Licet ibidẽ quod interfuisset aduersarii dominus, pœnitentia ductus pręstare vellet. Sic euenit in transactione innominata prorsus, sed litium finitarũ ratione fauorabilis, *l. quamuis. C. de transact. l. cum proponas. 2. C. de pact.* sec⁹ in aliis defectis nomine contractib. *l. 3. § 1. ff. de condict. caus. dat. si pecuniam. eod.* Quinimo videtur feudũ elegans nomen cum effectu habere: quia si dominus polliceatur inuestituram vassallo renuenti & legitimè interpellato, hũc tanquã ingratũ reiicit. Respõdeo, ibi stipulationem interuenisse ab initio. Nã præcessisse solidã conuentionẽ ibi necesse fuit, cũ domin⁹ offerret inuestiturã vassallo postea, deinde vassall⁹, cui pœnitere licuit, nihili faciebat se ingratum dici feudi respectu, quod spernebat.

3 Vetustius † quoq; fuit quolibet tempore pœnitere domino soli, nõ vassallo, priusquã tãtæ leuitati Cõradus Aug. mederetur, *§. & quia, de iis qui feud. dar. poss.* sed talis pœnitẽtia ex parte dominorũ cõmunis est plerisq; nominatis conuentionib. de grege nobiliũ, vt mãdato, precario, deposito. Quod si feudum traditum penit⁹ fuerit, nemini insuper dubium

dubiũ est, quin in rẽ quoq; actio detur tã domino, quàm vassallo aduersus omnẽ possessorẽ & dominũmet; *l.1.§.fi.cũ l. seq. si ager vectigal.ff.* pſertim cũ potior sit cõditio vassalli ęternũm fruẽtis, quã emphyteutę pensionẽ præstaturi aut expellendi, si triẽnio cessauerit, *l. 2. C. de iure emphyt.* quod in feudo non obtinet, quoniã vassallus seruitia, nõ reditus pẽdit, nec nisi rogetur, cum domino scil. necesse sit, *d.c.1.de feud.sine culp.* Itaq; rei vendicatio efficax erit domino contra emptorem feudi à sciẽte vassallo distracti, *c.1.de cõtrouer. inter dom: & emptor.* nã si ignorãs feudale esse prædium alienasset, id reciperet, *§. si vassallus, si de feud. defunct. cont.* nec electio iam superest emptori, vtri malit restituere: sed bona fide dictãte, emptor pretiũ, & si quid sua interfuit ab incauto cõparasse, recuperabit, venditor verò rem, *l: bona. ff. de act. empt.*

† Quocirca cùm lex excipiat bonæ fidei emptorem indemnem fore, vt *c.1.de prohib. alien. per Feder.* is qui sciens feudum à vassallo emerit, pretium perdet, nec compellabit de euictione venditorẽ, vt ibi Accurs. notat, iuxta *l. si fundum. C. de euict.* vbi tamen excipitur, quoties venditor euictionẽ nominatã promisit, nẽpe in re, quę penitus priuata est. atqui in feudo aliud sentiendum putat, merito prorsus. nã alienatione feudi iniuria fit domino, *§. fin. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* sed magis reipubl. cuius tutela nectitur dũ- 4

plici vinculo, legum & armorum, *capit. 1. de probib. feud. alie. per Lothar.* vnde in pari caussa turpitudinis potior erit venditio, quã emptor, de euictione agens, *l. in pari. ff. de regul. iur.* Ita tamen vt venditori mox à fisco pretiũ extorqueatur, qui malè parta sorbet, gaudet puniri autores contractus reprobi, *l. Lucius. de iure fisc. l. mercatores. C. de commerciis.* huc spectat *d. §. si quæ fuit prim. caus. benef.*

5 Si quæras, † vtrum dominus vendicet feudũ ab emptore, an actione personali petat: dicam, electionem illi tribui: quia cum sacramẽto fidelitatis tutum & honestum illi vassallus promiserit, dum inuestitur, *cap. 1. de forma fidelitatis*, perperam alienauit. Vnde licèt pacto non transferatur dominium, *l. traditionib. C. de pact.* tamen mira sedulitate retro agitur eodem ad dominum, vt in pacto additionis in diem, & legis commissoriæ, si eorum potestate pristin⁹ dominus vti malit, non si negligat optimum legis remedium, *l. 2. l. post diem, ff. de lege commiss.* vnde conducere poterit, vt docui ex *cap. 1. de feudo sine culp. nõ amitt.* nec dubium est quin actio in rem sit præstantior: quia arbitraria est, atque ideo bonæ fidei imitatrix, instar simiæ. *§. præterea, de action.* vt patet, quia in ea iurabitur in litem aduersus eum qui dolo desierit possidere. inde congeries condemnationis magna sequitur, *leg. qui restituere, ff. de rei vendicat.* potissimum in feudi tractu, in

quo iureiurãdo plurimum adstipulamur argumento illius ætatis, qua feuda inoleuerãt robore eximio, vtpote Deum asserentis, insigni reuerentia & pietate amabili. §. *fin. si de inuestitur. inter domin. & vasall.*

Quocirca † cùm sæpe dominium difficilius probatu sit quàm possessio, proinde lex hortatur vt possessoriis primũ remediis experiamur, atq; ita leuemur à probationis fasce, competent interdicta pro feudo possidendo, *cap. 1. si de feud. defunct.* & tum domino, tum vassallo assiduo fructuario proderunt, *l. fi. ff. vti possid.* & in re obscura possidẽti deferetur conditio iurandi, *capit. 1. de contenti. inter domin. & vassall. de inuestit.* 6

Superest † igitur inuitante materia, vt probationum modos enucleemus, testibus, literis, & iureiurando, constitutos. & hi tres simul modi comprehenduntur in *ca. 1. quid sit inuestit.* Testes verò masculos intelligimus duntaxat, *§. fin. qui testes sint necess. ad prob.* vbi patet arceri fæminas à tantæ molis contractu, quem tamen iniri possunt. nam & feudum primò conferunt, & dum collibuit, recipiunt, *§. pen. per quos fiat inuestit. c. 1. de feudo fœm.* sed & fæmina liberè testamentum adolescentula, *l. qua ætate. de testam. ff.* in eodem autem testis non admittitur, *l. qui testamẽto. §. mulier. eod.* nec in diuortio, *l. nullum. C. de diuor.* At nõ sicut in vtroq; horum duo testes nõ sufficiũt iure, licèt aliter more mul- 7

tarum regionum falſo fabricando accõmodato: ita in feudo ad probandam inueſtiturã plures duob. deſiderantur, cùm in ore duorum vel trium, in feudis potiſſimum, ſtet omne verbum, Chriſto teſte mirifico dictante *Matth.c.18.* quod perinde eſt, atq; ſi dixerit duos teſtes ſufficere: cùm in diſiunctiua alteram partium veram fore ſatis ſit, præſertim in hac phraſi, §. *ſi verò. quid ſit inueſtit. l. qui libertinis. ff. de oper. liber.* nõ induco *l. vbi, ff. de teſtib.* ꝓpterea, quod id apertiſſimè probatur in *capit.* 1. *de not. feud.* & §. *ſi quis ſe. ſi de inueſtitur. inter dom.* & *vaſſ.*

8 † Quo ex loco deinde colligo, non temerè quoſcunq; teſtes rogari ad inueſtiturã, ſed pares curiæ, ſi modò nõ abſint procul pares: vel ſecundo, ſi clericus inueſtiat. nam in hac ſpecie exteri ſine delectu teſtificãtur, *c.1. eod. tit.* Sed pares falſi ac fallacię expertes magis putantur, *d.c.1.* §. *idcirco. de not. feudor.* vel ex dignitate, vel quod in eadẽ conditione qua vaſſallus ſint, & compares dicantur, §. *fin de allodi.* & hęc obtinent in noua inueſtitura: ꝙ ſi vetus renouetur, vt aſſolet, *c.*1. *quo tempor. mil.* tunc teſtes quiq; obuii ſufficiũt, *c.*1. §. *pe. qui teſtes ſunt neceſſar.* nã firmius hærent quæ iã olim fundata fuerunt. Vnde fit, vt ad conuincendam vaſſalli ingratitudinem quinq; teſtes integræ opinionis producantur, *cap. 1. quot teſtes ſint neceſſ. ad ꝓband. feu. ingrat.* Sed in vniuerſum vbi penuria euidẽs eſt teſtium

eximio-

eximiorum, alii audiuntur teſtificantes veriſimiliter, *c. 1. de not. feud. l. quaſitũ. ff. de teſtib.* & conſuetudine Toloſana in eod. *titul. articulo 8.* teſtes domeſtici idonei ſunt in gratiã eius, qui domi iniuria affectus fuit.

Sanè quia in toto iure † is qui fretus eſt aliqua præſumptione, transfert onus probationis in aduerſarium, vt ambæ luctentur, quoad alterutra ſuperet, *l. ſi chirographum. ff. de probati. l. nõ eſt. ff. de eo quod met. cauſ.* idcirco vtile eſt cognitu, quãdo præſumptio pro domino vel pro vaſſallo militet. Vt cùm aliquis contẽdit, rem feudalem eſſe, quam aduerſarius poſſidet, & inficiatur: nam libera præſumitur, prout fuit iure gentium diuiſis dominiis, donec ſeruitutes eodem iure conſtituerentur prædiis: adeò vt in re mea quiduis impunè faciam cum damno vicini, niſi æmulatio mala detegatur, *§. final. de vſu & habit. Inſtit. l. 1. §. denique, de aqu. pluu.* nec enim naſcitur feudum, ſed fit inueſtitura, aut ſucceſſione poſt inueſtituram perſeuerat, *§. fi. de feud. cognit.* proinde incũbit onus probandi domino, cui victori prorſus res adiudicatur, vt vlciſcatur inficiatorẽ, *§. fi. de lege Conrad.* Quamobrẽm omne prædium præſumetur allodiale & immune à cenſu alterius domini, præterquam principis, *cap. 1. de allod. & cap. 1. quæ ſint regal.* nam præcipuũ regiæ poteſtatis eſt cenſuum & tributorum exactio, *l. fi. C. ſine cenſu vel reliq.* allodium au-

tem in proprietate consistit, nulli domino obnoxia, nisi iurisdictionem excipias, vt alibi demõstraui ex *d. cap. 1. de allod.* quippe qui in loca communia & occupanti cedentia iuris dicundi auctoritate censetur, *l. littora. ff. ne quid in loc. publ.*

10 † Illud commune est feudo cæterisque causis ac negotiis, quod in obscuris inclinamus possessorem versus, & pro illo benè cõiicimus, antequam diuersum probetur, aut subsit aliquid quod iudicem moueat, vt melius de petitore suspicetur. §. *sacramentum, & §. fin. de consuet. rect. feud.* vt si constet feudum esse, sed dubitatur quale sit, in re dubia rectum iudicabitur natura vulgari fultum, non aduentitia, *c. 1. de controuers. inter episcop.* multa namq; adiici solent præter naturam feudi à vassallis præstanda, vel leuiora quàm feudi natura exigat, *§. fin. quid sit inuestitur. §. final. per quos fiat inuestit.* iuuerit *l. 1. C. de iure emphyt.*

11 Secundo, dixi † probationem fieri inuestituræ veteris vel nouæ literis, quæ quidem nihil addunt substãtiæ obligationis, sed prosunt ad retinẽdam fugacem hominum memoriam, *l. 4. ff de pignorib.* nec tantùm probatio constiterit instrumẽto diffuso, sed etiam compendiario, & breui testato instructo duorum saltem parium testimonio, *cap. 1. quid sit inuestit.* quoniã breuitas chartelæ non officit contractibus, *l. si aliquid. C. de*

de donati. quod si pares desint, exteri breue testatum satis illustrant in vtrauis inuestitura, vsu Mediolanensi receptiore, *ca.1. qui testes sunt necess. ad prob. inuestit. §. item si vassall. si de inuestit feud. controuer.* testationem vocant Iurisconsulti eiusmodi scripturam, *l. in sponsalib. ff. de sponsalibus.* non solùm §.1. *ff. de oper. noui nunciat.* accedat *l. Lucius. ff. de iis qui notant. inf.* & *breues* seu *breuia* dicuntur scripturę fori seu negotiorum summatim ea complectentes: Lampridius in Alexandro Seuero Aug. eum notarium, qui falsum causæ breuem in consilio Imperatorio retulisset, inquit, incisis digitorũ neruis, ita vt nunquam posset scribere, deportauit, *l. fi.* § 1. *C. de appellati.* nam & in *d. cap. 1. quid sit inuestit. vers. quod si iurare.* exterorum testium dicto fides plurima tribuitur.

Quamobrem iam † superest vt de iureiurando probationis vim habente dicamus: 12
quia qui iurat, fit testis in causa propria partis aduersæ consensione: imò iudex etiam fit. *l. finali, C. de fideicommiss.* maximè quod in feudis mirifica iurandi solennitas plerunque adhibetur cum 12. sacramentalibus iuranti adstipulantibus, vt iam declaraui, § *sacramentum. de consuet. rect. feud.* sæpe etiam iudex defert iurandi conditionem, vt ibi eleganter aperitur; nempè ei cuius fidem ad peierandum minus propẽsam suspicabitur. nec lego in feudis retractari tale iusiurandũ,

quod ad ſupplendam probationem ſpectat, licèt iure Romano aliter obſeruetur, ſi antiqua inſtrumenta emerſerint, quibus poſſit conuinci periuriũ, *l. admonendi, ff de iureiur.*

3 † Inuenimus & aliud genus probationis diuino iudicio exercitæ, & victoriam ſecum trahentis, in §. *ſi rusticus. de pace tenend et eius violator.* vbi ſi miles ruſticum de violata pace pulſauerit, & manu ſua iurauerit, inquit, quod non voluntate, ſed neceſſitate hoc fecit, de duobus vnum ruſticus eligat: an diuino, an humano iudicio innocentiam ſuam oſtendat, aut ſeptem teſtibus idoneis, quos iudex elegerit, ſe purget. Accurſius diuinum iudicium interpretatur, cuiuſmodi ipſe vidit paſſim frequẽtari, IX. vomeribus ignitis cãdentibus humi ſerietim poſitis; quorum vnum, homo qui periclitatur manu correptũ eo vſque perferebat, donec ad vltimum perueniſſet ſingulas perambulans, vt Germanici annales amplius oſtendunt. Cuius iudicii fiducia pleni Leo Papa mentionem facit in *can. omnib. §. ſi 2. q. 4.* ad Carolum Magnum ſcribens, & Stephanus ad Magũtinum Epiſcopum, in *can. conſuluiſti.* vbi ferri candẽtis vel aquæ feruentis ſuſpecta eſt probatio. & idem Carolus Aug. in *l. Lõgob. tit. de parricid. lib. I. l. pen.* Quando aliquis negat ſe occidiſſe propinquum, ad nouẽ vomeres ignitos, ad iudicium Dei, inquit, examinandum accedat. at iudicium aquæ feruentis tale fuit, vt ſi

manus

man⁹ immersa lebeti feruentis aquæ exureretur, pro conuicto reus esset: sicut imperator Lodoicus tradit in *lege Longob. tit. de monomachiis, l. si quis ex leni.*

† Si demum iudices feudorum requiramus, inprimis occurret Imperator, seu rex superioris expers. neque enim mundi totius vllus est dominus, vt patet, cum multæ fuerint gentes fœderatæ Romanis, sibi latissimum imperium vendicantibus æquali iure, *l. non dubito. ff. de captiu.* multę iisdem formidabiles, cum quib. pacem fecisse gauisi fuerint, vel inimicitiam sine victoria aluerint, *l. 5. §. in pace, ff. eod. l. 2. C. de offici. præfect. prætor. Afric.* nam quod in *l. deprecatio. ff. ad legem Rhod.* imperatorem esse mundi dominum, eô spectat, vt partis equidem maioris sit dominus, *l. 1. §. Domini. ff. ad Syllanian.* accedit quod licèt Imperator in subditos ius dicat, *l. penult. de iis quæ in test. delent.* non tamen in eos dicet, qui se pares asserent, & viriliter renitentur, *l. 4. ff. de recept. arbitr.* proinde iudicabit in vassallum, quem subesse in confesso est, nō in eum qui iugum excutere feliciter potest, vel alium agnoscit Dominū sublimé, vt Pontificem Roma. in *Clem. 2. §. nos quoq;, de sentent. & re iudic.* vbi Clemens V. se Siciliæ regis ordinarium iudicem dicit potius quàm Germanicum Imperatorem, qui in eiusmodi regem iurisdictionem seuerissima notione assumpserat. Sed non no- 14

ſtrum eſt inter heroas mirificos lites tam arduas componere. adeant Thraſymachum apud Platonem *lib.1.De repub.* qui ius id eſſe contendit quod conducat potentiori, ſiue imperet rex, aut populus, aut primates. nam imbecillioribus potentiſſimus quiſque fert leges, ſecundum quas iudicare oporteat. Quod ſi de feudo controuerſia ſit inter Capitaneos, maximos vtique, Imperator cognoſcet, *cap.1.apud quem vel quos controuerſ. feud.* nam Marchio & Comes & ſimiles vt Dux æque ligio feudo inſignis Capitaneus in propoſito dicitur, *cap.1.de iis qui feud.dar. poſſ.* alibi quoque Obertus ait: Si inter Capitaneos regali beneficio inueſtito lis fuerit, Imperator ſeu rex definiat; ſi inter valuaſores coram paribus curiæ terminetur, *capit.1. de lege Conrad.* Secundò agnoſcet imperator inter Dominum & vaſſallum ex appellatione, ſi pares dicantur iniquè iudicaſſe, *cap.fin. quo tempore mil.inueſtit.pet.* Tertio, quando nondum appellatum extitit, ſed pares nolũt iurare nec coguntur prout iuris eſt de ſynceritate teſtimonii ſui, tunc dominus & vaſſallus tẽdunt ad imperatorem, & cauſam apud eum exponunt, *c.1.ſi de inueſtit.inter domin. & vaſſall.*

15 † Quinam autem qualesve olim fuerint pares curiæ, valde dubitari audio, præſertim in Gallia, in qua hiſtoriæ Græcis narrationibus aſſimilatæ paſſim mentionem pariũ faciunt:

ciunt: & serius principiũ vsus imaginem eorum retinere studet, nõ absq; ratione, ꝑpter antiquitatẽ originis ante Frãcorũ Gallia potitorũ tẽpora repetitæ, quãdo strenuissimus quisque dux & Celta nobilissimus circulari mẽsa vtebat', vt ostenderet cõuiuas ęquabili auctoritate cẽseri: mediũ tantum locũ principi, rerum gestarũ gloria claro, tributũ legimus apud Athenęũ libr. Dipnosophistarũ 4. c. 13. vtrinq; assidebant virtutis & nobilitatis splendore præcipui, nõ modo inter se habiti pares, sed etiã cum suo regulo conciliãdæ amicitię nominis dulcissimi lenitate studioso: sicut Iul. Cęsar milites suos appellabat *commilitones*, idq; renouauit D. Traian. *l. 1. ff. de milit. testam.* vt desinant mirari aliqui scriptores Carolum Magnum parib. gaudentẽ, quiq; eorũdem vsum in subactã Longobardorum orã trãstulit. Vnde in feudis talia parium extant vestigia: & *cõfratres* appellantur inuicem, *c. 1. vers. hac omnia. si de inuest. inter domin.* Præterea Rom. Pontifex Cardinales suos fratrum æquabili nũcupatione dignatur, *Clem. 2. §. nos quoq;, de sent. & re iudic.* nec video cur Budæus pat[illegible] nescio, quib. pares cõtulerit, in *l. fi. ff. de Senatorib.* siue *patricios* intelligat eos, qui à vetustissimis senatorib. à Romulo institutis descenderant, de quib ibidem iuriscõsultus loquitur; siue eos qui Cæsarib. Cõstantinopolitanis patris dignitate fulti astiterũt, vix vtiq; plures, sed fe-

rè ſinguli, *l.fi.de cõſulib.lib.12.C.* ſed alibi hoc amplius confutandũ differo, ſi interim admonuero, inter fratres ius ſocietatis parilis intereſſe, *l. verum, ff.pro ſoci.* Cæterum ea erit ſubditorũ moderatio, vt tãto amplius ſe ſubmittant principi, quanto eũ comem humanumq; nacti fuerint.
16 † Et quia decet omnes homines parêre legib. etiam eorũ excelſos autores, *l.digna.C. de legib.* ſi quãdo inter dominum & vaſſallũ lis de feudo oriatur; ſiquidem domus eius tãtę nobilitatis eſt, vt pares habeat, ii cognoſcent: nec.n. pręſumẽtur domino aliqd detracturi, cui fidelitate obſtricti ſunt: nec vaſſallo cõſorti, cum ſibi tãtumdẽ periculi impendere præuideant, *c.1.de cõtrouerſ.feud.apud par.termi.* vbi docet Obertus, quid ſtatuendũ, ſi diſſenſerint dominus & vaſſallus in parium approbatione. nec dubito ſuſpicione notabiles pares reiici poſſe, *Auth. ſi verò, C.de iudic.* inde illa eligendorũ parium occaſio ab Ober. nõ ꝑtermiſſa: ſicut nec reuerentia, quà ſalua, vaſſallus cõtra dominum in iure ſubſiſtit, ſi fortè quicquã parum ex bona fide factũ aſſeueret, exẽplo filii emancipati vel liberti, *c.1.de milit.vaſſall.qui contum.l.no[illegible]t.ff.de dol.* niſi adeò proteruum ſe dominus præbuerit, vt prædari lex vaſſallo impunè permittat, vt illic dicitur, & nos iam ante explicuimus.

17 † Vnde ad cõtrouerſiam transgredimur, quàm vaſſalli inter ſe concitant: quia exploratum

ratum est ius commune vigere, si vassall⁹ ab extero pulsetur, vel si se defenderit, nēpè coram ordinario iudice, *cap. 1 de controuer. inter vassall. & alium de benef.* nā dominus in vassalli sui gratiā crederetur plus æquo proclivis arbiter. ꝑinde si disceptēt in iudicio duo vassalli de feudo, quos esse vassallos cōstitit, iū domini cognitio est, §. *pe. de prob. feud. al. per Feder.* Si verò dubium sit quia disceptent duo vter vassallus habeatur, nō vter potior, iudicis ordinarii cognitio esto vel arbitrī partium consensione electi, *c. 1. de inuestit. in marit. fact.* maximè cum alter vassallus se de nouo beneficio inuestitum affirmat, alter tanquā de paterno cōtendit. in dubio. n. dominus inuestiturę à se factæ opitulabitur, de eius euictione obstrictus, *c. 1. an apud iudic. vel curi.* † Atqui, vt Obertus alibi ait, cùm duo vnum producūt inuestitorem, si possidēti dominus guarētizare voluerit sine fraude, ipse obtinebit; nisi aduersarius cōtra aliquid induxerit, *cap. 1. de lege Conrad.* Guarentiā verò Franci euictionis periculū vocāt, de qua tenetur is, qui rē tradidit, quē quidē qui accepit laudat, i. nominat atq; inuocat tanquam iuris sui autorē, *l. Herēnius. ff de euicti.* vbi nobiles grammatici multa laudari digna cōgerunt: nos verò hinc deducemus laudamentū, i. iudiciū feudale, & quicquid laudatū statuiturve ab arbitris tāti momēti, in *cap. fi. quo tēpor. mil. inuestit.* quia cū domini primū cœpere iudicare inter suos vassallos de feu- 18

do, si poti⁹ præstitere guarentiã, in quem ius volũtasve ꝑpendebat, & ei feudũ cõtrouersum addixere autores laudati, atq; vnà iudices, *d. c. 1. de leg. Conrad. l 2. C. de in litem dand. tutor.* Accedit, quod laudare idẽ est quod approbare, *l. 2. §. pen. ff. ad Vellei.* & quidẽ ita apꝓbare, vt inuestitura illico sequat͂. Vnde illud Leonis Põtificis honoris gratia Ottonis I. Theutonum regis: Non consecretur Episcopus, nisi à supradicto rege laudetur & inuestiatur, *can. in Synodo, 63. dist.* hinc vulgò repsit *Laudimium*, emphyteutæ mercedula præstanda domino, cui nouè subesse incipit; & allodium expers cuiusuis pensionis & obsequii, vt abundè relatum à me superius magis quàm approbatum memini, nec recolo. Securus etiam aliarum quæstionum quæ ad feudorũ iudices pertinẽt, & ab aliis scriptorib. paruæ rei magnũ volumen edere conãtib. anxiè explicatarum; &, si quid scio insuper obscuratũ nube desuetudinis, magistratui ordinario fauentis, recepto more, cuius nutu iurisdictio quæuis circumagitur, *l fi. C. de emancip.* potissimum in Gallia Regem vnum salubriter venerante. & iam piget me scrutari diuti⁹ veterum circa feudorum proprietates animaduersionem atque studium, vtpote quos dominorum loco reuereor: nec boni clientis est, domini occultiora secreta vulgare. *§ fin. de noua form. fidelit.*

FINIS.

TRACTATVS DE FEVDIS D. PETRI de BELLA PERTICA V. I. Doctoris clarissimi, feliciter incipit.

TRACTATVRVS ergo de Feudis, primo videndum est quid sit feudum: Secundo, vnde dicatur: Tertio, de forma iuramenti fidelitatis: Quarto, quis potest dare feudum: Quinto, quibus personis dari possunt. Sexto, quæ res dari possunt. Septimo, quibus modis constituitur feudum. Octauo, qualiter acquiritur. Nono, quibus modis alienatur feudum. Decimo, quibus casibus amittitur. Vndecimo, de fructibus feudi post amissionem. Duodecimo, qui succedunt in feudum. Tertiodecimo, de inuestitura qualiter fiat, & per quos testes probetur. Quartodecimo, quis sit iudex feudi. Quintodecimo, quo iure feudum petatur. Sextodecimo, quibus modis vel casibus vasallus à fidelitate domini liberetur.

Diffinitio Feudi,

CAPVT I.

FEudum est concessio rei pro homagio facta. *ext. de symon. c. ex diligenti*, & in hoc differt ab emphyteusi, in qua nō debetur homagium, secundū casum *ext. de iur. emph. c. potuit*, *& C. de sac. san. eccl. quæ res iā dictas*, *& C. de iur. emph. l. 1.* Vel, Feudū est beneficiū; id est, beneuola actio, tribuens gaudiū capienti capiēsq; tribuendo, vt in *lib. feudorū, rub. in quib. casibus feud. in c. Hubert. de Orto.* vel, Feudum est concessio rei facta alicui cum translatione vtilis dominii ad habendum & fruendū, cum exhibitione alicuius honesti seruitii. Bene dicitur, *honesti seruitii*; quia secus est, si inhonesti; puta concedit feudum vt hominē iniuste occidat, vel offendat, vel sacrilegiū faciat, vel vt in meretrico vel turpi seruitio domino seruiat: tūc feudi cōcessio nō tenet. *arg. ff. mād. l. si remunerādi, §. si adolescēs, et l. si mādauero tibi. §. quod ederе.* Generaliter .n. nouimus turpes stipulationes vel concessiones nullius esse momenti, *ff. de fideiuss. l. generaliter.* Vnde per hoc nō tenetur vasallus domino in factis turpibus obedire, vel inhonestis, *arg. ff. de oper. libert. l. hæ demum ope, & l. eius artificii.* cum palàm est eum irrationabiliter hoc facere, vel mādare, in *libr. feud. quod hic leges consuetudinis regni incipiūt, c. domino guerram.* Nam nec seruus domino, nec fili⁹ patri, neq; ciuis magistratui, seu recto-

ri te-

ri tenetur in turpibus obedire. *ff. de act. & obl. l. seruus, ff. de arbit. l. si cum d. es, §. in compromisso.* Et, si in atrocioribus delictis obediunt, non ideo excusantur, quod domini mandato faciunt hi, & ipse dominus tenetur ad pœnam delicti, *ff. de iniur. l. non solum, §. precibus.* Nec enim oportet malitiam vassalli mandato augeri domini, *arg. ff. de ser. corrup. l. 1. §. persuadere.* In aliis autem quæ non sunt atrociora, puta vt damnum det alicui in rebus suis, si obtemperauerit domino, excusatur secundum leges seculi; & non ipse vassallus, sed dominus præcipiens, ad emendationem damni dati tenetur, *ff. ad l. Aquil. l. liber homo.* Ad ea enim quæ atrocitatem facinoris vel sceleris non habent, ignoscitur obtemperanti. vt *ff de reg. iuris, l. ea quæ.* Sed secundum canones non excusatur. *arg. ex. de iniu. l. si culpa*: & maxime quo ad Deum, qui peccatorem etiam de ociosis verbis & factis innumeris reprobauit.

De sacramento fidelitatis,

CAP. II.

DIcitur feudum fidei datio, siue à fidelitate, siue à fide, *rubric. de inuestitura, quam feudatarii seu vassalli dominis suis præstare & iurare debent.* vt in *libr. feud. rubric. qualiter iurare debeat vassallus domino suo. c. qualiter, & ext. de iur. iur. c. veritatis. & c. eã te.* & ideo de forma iuraméti hîc tractamus, hoc est, de forma iuraméti fidelitatis; forma cuius iuraméti

est in prędicto *c. qualiter. & in titulo Ex. de iur. iur. in ca. ego Nicolaus*, vbi est forma, qua præcipue iurat clericus vel prælatus ecclesiæ ratione, vbi sunt aliqua capitula, quę iurare non debet vassallus domino seculari. Vt tamen plenius cognoscatis, forma cõmunis talis est iuramenti, quod præstatur domino feudi, videlicet: *Iuro ego P. quod ab hac hora in antea ero fidelis vt vassallus domino Ioh. cõmuni opere.* Item, *Iuro quod non ero in consilio, neque in facto vt ipse dominus vitam vel honorem perdat, aut membra, vel capiatur mala captione, vel munitiones suas perdat, vel bona: quod si prædicta sciuero vel aliquid prædictorum, si potero, contradicam vt non fiat; alioquin denuntiabo domino, quam citius potero per me, vel per alium, vt sit domino meo notum.* Hoc capitulum probatur *argum. l. ff. ad Sillanian. l. 1. §. occisorum. & §. potuisse. & ff. locati. l. item quæritur. §. exercitu.* Item, quod eidem domino erit facile facere, non faciam difficile; quod & idem fuerit possibile, vt sit impossibile, non tractabo. Item, consilium quod mihi per se, aut per literas vel nuntium mandabit seu manifestauerit, ad eius damnum nulli pandam, sed postulatus consilium tribuam bona fide. Item, iuuabo & defendam ipsum dominum & omnia iura sua toto posse meo, secundum Deum & iustitiam contra omnes huius mundi, excepta persona Imperatoris. vt *rubri. vt in cõstit. Fred. de feud. §. 1. Si quis & domini papæ, ext. de iureiur. c. ve-*

nien-

nientes: vel regis, vel alicuius domini: cui subest *rubri. hic leges consuetudinis reg. incip. c. contra omnes. & arg. ff. ad municip. l. Imperator.* Sed numquid iuuabit contra patres vel filios, vel fratres suos? videtur quod sic, per prædictum *c. contra omnes, & arg. ff. de condict. indeb. l. frater à fratre, & ff. si ser. ven. l. alicui. arg. contra. C. de excusat. tutor. l. humanitatis,* vbi tutor nō tenetur iuuare pupillum suum contra prædictas personas. Item, bene dicitur supra, [*secundum Deum & iustitiam.*] Quid enim si scio dominum irrationabiliter præliari, tùnc non tenebor ipsum iuuare, ad offendendum alios, *rubric. hic leges consuetudinis regni incipiunt, c. domino* nam & seruus excusatur qui dominam suam in adulterio deprehensam, & à marito interfectam non iuuit, *ff. ad Sillan. l. si quis in graui, §. sed in hoc ca.* Vnde sex addimus, quæ debet vasallus in memoria habere, & ea sex ita debet bona fide seruare: incolume, tutum, honestum, possibile; vasallus domino debet, vtile, facileque. *Incolume,* ne sit in damno domino suo de corpore seu membris: *Tutum,* ne sit in damnum de consilio suo, vel de munitionibus, per quas dominus potest esse tutus. *Honestum,* sc. ne sit ei in damnum, de sua iustitia vel de aliis causis, quæ ad domini pertinent honestatem. *Possibile,* scilicet ne id quod possibile erat domino, reddat impossibile. *Vtile,* scil. ne in damnum sit domino suo de suis rebus. *Facile,* scil. ne id bonum quod

dominus suus leuiter facere poterat, faciat ei difficile siue graue. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi faciat quod est bonum, vt in eisdem capitulis scriptis consilium & auxiliũ fideliter domino suo præstet, si beneficio feudi voluerit esse dignus, & fidelitatem debitam voluerit obseruare. Dominus quoque in his omnibus vassallo suo debet reddere gratam vicem, aliàs malæ fidei dominus censeretur. Hæc omnia sunt per ordinẽ in Decretis, *causa 22. q 5. c. cum de forma.* Vnde potest feudum dupliciter accipi, sc. à *fidelitate*, quam debet vassallus domino suo, & *a fide*, quã vice versa dominus debet vassallo; quã si non pręstiterit, iuramentum fidelitatis eidem domino non seruetur, *l. quia, §. Arethusa, & C. de pactis, l. cum proponas.* Æquum enim est vt ab eo, à quo fidem vel bonum exigis, fidem & bonũ mutuo sibi præstes. *arg. ff. de pet. here. l. sed & si lege, §. consuluit. extra. de testamentis. c. cum in officiis. & causa 7. q. 2. c. illud. 16. qu. 2. l. vtilis. ar. ff. si a par. fuer. man l. 1.* Sciendum tamen est quod facta concessione feudi & inuestitura secuta, tunc demum hoc iusiurandum præstabit vassallus, *rubric. qualiter iurare debet vassallus domino, c. qualiter, §. inuestitura.* Primo enim dominus debet ex parte sua complere quæ facere tenetur; & post debet exigere & recipere quod sibi faciendum est à vassallo. *ar. ff. de act. emp. & in l. offerri, & ff. de ædil. edict. l. sciendum.* Si tamen iuramentum vassallus

fa-

facere recusaret; tunc non debet ipsum dominus inuestire, nisi pacto esset remissum huiusmodi iuramentum, *c. quæ sit inuestitura*, per totum, & §. *nullam*. vnde vassallus qui petit inuestituram, debet instanter fidelitatem domino polliceri, vt *rubric. quibus causis feud. amitt. c. Vbertus*, §. *prima autem*, *& rubric. epistola Corradi, &c.* Quid autem si inuestitura taliter fiat, plenius videbitis in sua *rubric. de inuestitura*. Hoc autem iuramentum præstant omnes vasalli dominis suis, siue habeant feudum honoris, siue feudū scutiferi, vel conditionale. Immo tamen differt: quia dominus facta inuestitura & recepto sacramento fidelitatis, vasallum honoris vel militiæ ad osculum recipere consueuit: sed habentes feudum conditionale vel scutiferi, recipere non tenentur. Dicitur *feudum honoris*, quotiens cum re feudali, vt puta, castro vel villa concessa in feudum, habet vassallus iurisdictionem, quo casu tenetur vassallus domino gaudium faciendi rationem.

Sed quæritur, mortuo domino an vasallus iterato iurare debeat successori? vtiq;. vt *Extra. de iur. iur. c. veritati*. Sed quando vassallus iurauit domino recipienti, pro se & successoribus suis? iurabit igitur successori. Quid si plures fuerint successores, an sit iurandum omnibus? videtur ꝙ non: nam pro vno feudo non debet compelli quis plures dominos habere, *rubri. de feudis, c. imperialem*, §. *præterea*.

Ratio est, ne qui cum vno domino contraxit, constringatur pluribus id patrare. *ar. ff. de exercit. l. ne in plures, ff. iudi. sol. l. iam tamen, §. penul.* Sed arg. econtra, quod omnibus sit iurandum, *ff. de vsufru. l. si cuius, §. ibi, Sed si plures & arg. ff. qui satis. cog. l. sed si plures.* Hoc verius puto, quando omnes succedunt, quod omnibus sit iurandum; quia & onus præstandi fidē & defensionem faciendi vassallo omnibus incumbit; & sic intererit vassallo potius iurare pluribus quam vni; quia & a pluribus iuuabitur & defendetur, quod vtilius erit ei. *ar. ff. de ope. no. nunc. l. nam rei publicæ.* Quid ergo, è conuerso, an plures heredes vasalli iurabunt? Resp. quia omnes succedunt & æqualiter, vt *rubri. de iis qui feudum dare po. c.* 1. §. *sed cum hoc iure*, omnes iurabunt. Resp. Si de feudo contētio sit inter dominum & agnatos vas. *c. omnes filii.* cum autem vnus succedit, ille solus iuret, etiamsi aliàs plures heredes essent vassallo in aliis bonis suis.

Quid enim si de feudo marchionatus, ducatus, vel regalis honoris quis fuerit inuestitus, eo expresso, vt ad suos hæredes transeat dictū feudum; quia aliàs non transeat ad hæredem in prædicto casu, tale feudum non debet diuidi, sed ad vnum tantum successorum transferri. vt *rubrica de feudis marchiæ & ducatus. c. 1. & rubri. de feud. c. imperialem. §. præterea ducatus, & extr. de voto & vo. c. vniuersis.* Vel quid in alio feudo; quod bene potest dici, vt in *dicto*

§. *præ-*

§. *præterea*; & plures sunt successores, omnes tamen feudum repudiant, præter vnum; certe ille vnus succedet in toto feudo, & ei partes non petentium accrescent cum onere suo: & idem solus iurat, & seruit solus, *C. de caduc. toll. & hic itaq;, C. de impub & al. subst. l. testamento, ff. de leg. 2. l. si Titio & Mauio, §. Iulianus.* arg. contra. *ff. de leg. 3. l. 1. §. fi.* vnde sine onere venit ad alium. Sed non obstat, quia nostro casu præsenti cum onere seruiendi & iurandi fit rei feudalis inuestitura, *l. qui annexum institui, §. si feudum seruiens, & l. cum in fundo, ff. de vsufru. l. hactenus, & ff. quib. mod. vsufr. amitt. l. 3.* Item, si ex diuisione ad vnum peruenit, ille solus fidelitatem facit. *rubric. si de feu. contentio sit. c. omnes filii.*

Qui potest dare feudum,
Cap. III.

POtest dare feudum omnis homo, qui non prohibetur; vnde est quod prohibitorium est hoc edictum, vt illud de procur. vt *ff. de procur. l. mutus. §. 1.* Communiter autem consueuerunt dare dominus Papa, & Imperator, & eis nulla lex prohibet, quia legibus sunt soluti, *ff. de leg. & SC*tis*. l. princeps.* vnde fiscalia sunt Principis, & ecclesiastica sunt domini Papę, tanquã patrimonium proprium, & ea ad libitum alienat, *C. de quadrien. præs. l. bene à Zenone. & ff. ne quid in loc. pub. fi. l. 1. §. hoc interdictum.* Item, dant Patriarchæ, Archiepiscopi,

Episcopi, Abbates, & Præpositi; si tamen antiquo tempore dare Præpositus consueuit, & isti prælati ecclesiarum possunt dare res, quæ non de nouo ecclesiæ obuenerunt post suam promotionem, cum consensu tamen sui capituli, *Extra. de rebus ecclesiæ non alien. c. vt super, ibi, nec aliis infeudauit. ext. de his quæ fi. a præ. sine con. cap. in c. nouit. & c. quanta ecclesiæ;* nõ tamen dabũt in feudum res quę sunt de mensa, hoc est, res quas inuenit in possessionem liberam; & licet tempore promotionis suæ, vt *dicto c. vt super. & in lib. feu. qui feudum dare possunt,* & acquiritur *c. 1. rubri. quibus modis feudum amittatur.* Item, si episcopus & abbas, *inuestituram facit, rubri. de cler. qui inuest.* Item, possunt dare in feudum illas res feudales, quæ suo tempore necessitate reciderunt, & hoc in tribus casibus, sc. cum morte vassalli recideret; vel alienatione illicite facta à vassallo; vel quando feudum alienatũ est à vassallo, quod ecclesia per se facile non potest, quod his tribus casibus poterit alii concedere dictũ feudum. *Extra. de feud. c. ex parte tua.* Item, in quatuor casib. concedet de nouo, sc. quando tempore schismatis fuit episcopo collatum seruitium, tunc pręterea schismatis tempestate sedata, poterit modicum terræ in feudum concedere, *extra. de donat. c. per tuas.* nam & Papa cõcedit priuilegiũ ob gratiã præstiti obsequii, *25. q. 1. §. fin.* non tamen quibuscunque personis dare possunt pręlati feudũ; nõ tamen dabunt

dabũt agnatis, *C. de sac. san. ecc. Auth. quibuscũq;*

Sed quæro an prædictis casibus quibus licet prælatis res olim feudales de nouo defeudari, exigitur cõsensus capituli? videtur quod non: nam prædicta *Decr. ex parte*, loquitur de prælato, & dicit, si videris expedire, concedas: si, facit de consensu capituli mentionem; igitur hîc episcopo tantum licet. *arg. 25. dist. qualis, & ff. de cond. d. q. cum ita.* circa hoc dicatis, quæ cum talis datio contineat alienationem quodammodo, quia tránsit vtile dominium in vassallum, sicut in emphyteoticum, vt *ff. si ag. vect. l. 2.* quod melius & tutius sit consensum capituli requiri, *extra. de his quæ fi. à præ. sine cons. cap. c. cum in emphyteota.* non vetamus autem quod in eo casu nisi sine consensu capituli prælatus licite alienare potest, quod tunc in feudum concedere, eo. iu. vt 12. *q. 2. c. terrulas.* nisi modicum terrę licet prælato alienare præter capituli voluntatem. Item, si habebat possessiones minus vtiles, poterit similiter infeudare alicui, cuius seruitium ecclesiæ multum erat vtile; sicut posset pro aliis possessionibus vtilioribus commutare sine capituli voluntate, vt *not. dicto c. vt super. §. fi. in glos. quæ incipit* 12. *q* 2. *&c.* Succedit enim loco rei opera personalis, *ff. pro soc. l. si non fuerint, §. ita correi.* Item, possunt dare in feudũ Reges, Duces, Marchiones. & dicitur Marchio, *à marchia*; quia plurimorum; quia est iuxta mare. Item, Comites & Capitanei: dicti sunt *Capitanei*, qui de plebe vel plebis parte benefi-

cium sunt, à Rege vel à Principe inuestiti. Item valuassores, qui à Capitaneis antiquitus beneficium sunt adepti, & *Capitanei* vocantur etiam *maiores valuassores*; minores autem valuassores, valuassini, qui tenent feudum à valuassore magno; omnes sic denominati sunt, vt legitur in *rubri. qualiter iurare debent vas. domino, c. qui à Principe.* Item, possunt dare feudum diuites Barones, quorum census & opes abundãt, vt dominus Philippus, dominus Cyri, & dominus Iohannes, Dominus Choroni & dominus Theobaldus de Vesano, & dominus Almaricus, dominus Aras; & in partibus Italiæ, dominus Raynaldus de Bonforte, & Gentilis de Iuliano, & Syndes murũ de monte Merdi, & alii quam plures. Item, possunt dare nobiles & diuites mulieres, vt domina Chibernadens. & domina Gesariens. & aliæ consimiles; nec eis subuenit *l. mulieri.* hoc etiã casu, quia nec nominatim, *ff. ad S C. Velleian. l. sed & ego, in fin.* Prospiciendum tamẽ est, vt non permittatur alicui non multum diuiti in feudum concedere bona sua, quod vnum habet vel plures filios, ne filiorum diminuatur spes, quos ex iustis nuptiis procreauit, quod vnusquisque liberorum obsequio sibi parat, *argum. ff. de adopt. l. nec ei, §. videndum.* Quid autem si non habeat filios, sed ipse iuuenis, tunc quia posset liberorum procurationi studere, non est ei facilius permutare dominium, *ar. eo. tit. l. si pater, §. in arrogationibus.*

Item

Item possunt dare in feud. emphyteutæ ratione vtilis dominii sibi competentis: possunt enim dare, dum tamen canon seu pensio domino præstetur, *arg. C. de feud pat. l. 1. & C. de prædiis curialium, l. vlt* Item, dabit in feudum vassallus rem feudalem, *rubric. de feud. c. imperialem, §. illud quoq;* Dummodo tali personæ det, quæ hoc feudum seruire totum possit, ea forma & tenore, qua primo seruiebat. Vassallus videlicet, vt si dans erat miles, & ille qui accipit, sit miles, ad hoc vt feudū similiter seruiat domino, sicut prior. *rub. quot testes sunt necessarii ad nouam inuestituram, c. si inter duos, § similiter nec vasallus* Potest enim quis per alium seu per substitutum seruire, *rub. si de feud. contentio sit, c. si quis decesserit, & de feud. c. imperialem, §. firmiter etiam: ibi, dominum acceptabilem*, &c. & notandum in eo, quod dicit, *acceptabilem.* Acceptabilis erit, si idoneam personam vasallus ad seruiendum præstet, *argum. ff. de constit. pecu. l. qui autem, §. Sed & si quis, ff. de arbit. l. Labeo, §. fin. & l. aurea ad hoc, C. de agentibus in rebus, l. penult. lib. XII.* vbi licet seruire per substitutū palàm, scil. idoneū, & tam moribus optimis prędītum, quàm scientiam peritiamq; rerum habentem, & facit *argum. C. de episcopis & cleri. c. quisquis, & c. ad similitudinem, ext. de cleric. ægr. ministran. c. 1. per alium quis potest seruire.*

Sed videtur contra, dominus qui seruitium certi hominis elegit, non teneatur inuitus a-

lium acceptare, vt *rubric. de fratribus de nouo beneficio inuestitis, c. si duo fratres:* quia inter artifices longa est differentia ingenii & naturę. *Cod. de solut. l. inter artifices.* & vnius hominis operæ non possunt esse eædem. vt *ff. de condi. inde. l. si non sortem. §. libertus.* Super his sic distinguamus, an seruitium tale consistit in dando aliquid, puta libram piperis, vel cerę, vel par caponum, vel spalem porcinam, sicut in Italia à vassallis fieri consueuit: vel est tale seruitium, quod æque bene potest per alium explicari: & tunc licet à vassallo alii in feudo subrogare domino, vt dictum est *arg. C. de cad. toll. §. ne autem.* An consistat in faciendo, puta vt consulat domino, vel defendat iura sua, est homo sapiens præ ceteris in consuetudinibus huius regni, vt dominus Stephanus de Sauueg. vel dominus Iacobus Vitalis; vel vt aduocationes faciat secundum iura, vt est in Italia, dominus M. de Fano, vel dominus Odofredus, quibus similes non habentur; vel vt est vexillitus, scilicet castellanus, quia prudens est, vt dominus Gerardus de Pinchinnú; vel vt sit Mareschallus exercitus, qui prouidus est & probus, vt dominus Ioh. de Biblio: & tunc tale factum non posset per alium æque commode explicari, non licebit vassallo alii infeudare, domino recusante, *arg. e. c. C. de cadu. toll. l. 1. §. re. & 2. arg. C. de procur. l. vlt. iniustiores & vehementiores.* Alii, vt dominus Azo, dicunt feudatarium semper implere per

ali-

alium, quod ipse debet: sed videtur contra, *ff. de statu liber. l. Stichum*, §. *vltim.* Sed ibi loquitur in operis incertis eius naturæ, vt per alium non impleatur; aliud quidem in operis certis. Illæ enim velut peti, aut petuntur & per alium soluuntur, vt *ff. de oper. lib. l. à duobus*, vbi plene notatur in distinctione operarum; & vt in *dicta l. de statu liber.* continetur. Nec obstat quod dicitur, *Cod. de solutionibus, l. eum à quo.* quia non aliud pro alio, sed idem videtur solui, vt hoc actum est specialiter, vt huiusmodi vassalli præstentur operæ, tunc non poterit per alium præstare, vt *ff. de solut. l inter artifices, & dicta l. C. de cad. toll.* §. *ne autem.*

Sed quid si vassallus volens infeudare, cum non inueniat æque idoneum, infeudat tamen, & vult ipse seruire domino per eum, ac si feudum possiderem, videtur hoc posse facere, *argument. ff. de ali. iu. mu. causa. fac. l. 3.* §. *fin.* quod intelligatis, quando eandem causam & conditionem seruitii offerret, & permittit sub certa pœna domino parem præstaturum. In quocunque casu licet vassallo alii infeudare; scire debetis, quod eadem conditione & forma, & pacto quo habet, concedet, vel meliori; tamen non peiori, vt *rubric. qualiter vaßallus iurare debeat domino, capit. qualiter. paragraph. & contrario; ibi, disponendam esse meliorem conditionem*, & cæt. Vnde non posset alii concedere, vt per-

petuo apud accipientem & hęredes suos consistat, sed ipse in vita sua erat sol⁹ habiturus, vt *rub. quot testes necessarii ad nouam inuestituram, c. si inter duos, in præfecto illo qui suũ beneficium alii dat*, &c. Vel si desperat de prole, propter infirmitatem vel frigiditatem perpetuam, vt quia castratus est, vel spado, vt generare non possit: nam prædictis casibus aut recedit feudum in dominum mortuo vasallo, quando nouum erat feudum; vel etiam si vetus, eo sine filiis vel agnatis defuncto, alienatio seu concessio ad nutum debet vocari, vt *rub. qualiter debeat iurare domino vass. c. qualiter, §. si vel vatum.* Aut deueniet in agnatos, si extant, quando feudum erat antiquum, quibus inuitis iniuria non est per alium faciẽda, cum nihil deliquerint, *ff. quod vi aut clam. l. ne in potestate. ff. de regul. iur. l. non debet actori*, nec eis inuitis alienat, *rubri. de vassallo qui contra constitut. Lothar. c. alienatio.* Illud tamen sciendum est, quod cum vassallus infeudat alii feudum suum, non debet pretium tunc recipere à vassallo sequenti, aliàs tanquam inuasio est, & ad dominum reuertitur tale feudum, vt in constit. Frederici Dei gratia, *c. Imperialem, §. callidis insuper.* Hoc tamen casu secundum quosdam, primus vasallus huiusmodi translationis periculum poterit euitare, si ante litis ingressum recuperauerit rem feudalem, *ff. de alien. iudic. caus. fact. l. ex hoc edicto, §. si quis alienauerit.* Ar. contra, *ff. de furt. l. quà ea mente, ff. vi*

bon:

bon.rapt.l.penult. & *arg.ff.de procur.l.1.§.si rem.* Item, quid si vassallus, cui in vita sua erat feudum concessum, alii infeudauit, & mortuus sit, & dominus repetat feudum à vassallo suo, ille autem restituere non vult, sed offert se paratum seruire domino in vita sua; videtur hoc licere vassallo suo, vt *rubri. qualiter iurare debeat vassallus domino suo. §.si vera, per totum, in fin.* Sed quæro, an dominus viuente vassallo suo poterit feudum eius alii concedere sine voluntate eiusdem vasalli sui, vt eo primo vassallo suo mortuo, habeat id suus hæres: videtur quod nõ, vt in constitutione *Corrardi Dei gratia, §. in superioribus,* & *rubr. de feud. c. imperialem, §. præterea dicatur, in fine,* & *in rubri. de feud. sine culpa non amittẽdo officio, c. si quis fecerit.* & *C. de pact. l. vlt.* Sed contra *rub. si de feudo contentio fuerit inter dominum et agnatos vasalli, c. moribus,* & *ext. de conces. præ.* & *ec. nõn cõ. c. 2.* & *ff. pro soc. l. 3.* Solutio, pure facta concessio sine voluntate vassalli non tenet. *ff. de regu. iur. l. id quod nostrum.* Sed sub conditione valet, sc. si desierit esse res vasalli, vel vt habeant illo tempore quo nullus alius fuerit impeditus: hæc concessio effectum habet, vt siue post moriatur ille qui tenet feudum, siue seruus inuestiatur, siue dominus inuestitor, & heredes inuestitoris, tenetur inuestitio, & hæredi eius veniente tempore vel conditione, vt in *rubr. quid iur. sit si aliquis de alieno feudo sit inuestitus, c. si quis inuestitur.* Verũtamen

si ecclesiastica persona faciat talem inuestituram, non aliàs valebit, nisi sibi cōcedenti, non etiam successor feudum comperiatur, vt in prædicto *c. moribus*, *& in rubric. qui feudum dare possunt, c. si vero archiepiscopus*, alii habent *rub. qui successores teneantur, c. si vero archiepiscopus.*

Quibus personis potest dari feudum.

CAP. IV.

AVdiuistis quę personę possunt dare in feudum, nunc audiatis, quibus personis dari potest: & super hoc distinguatis, aut dominus principalis velit dare in feudum, an alius; & siquidem tunc dominus dabit cuilibet personæ cui volet, siue libero, siue seruo suo, siue clerico, siue laico, siue ecclesię, vel prælato, siue ciuitati siue castro; siue diuiti, siue pauperi, masculo vel fœminę. Non est diu facienda distinctio in personis recipiēdis feud. vt *lib. feu. rub. quid sit inuestitura. § pars domino, & arg. Cod. de præs. l. sacrilegii, & C. de sacri. alii ar. C. de precib. imper. of. l. vniuersis.* Nihil. n. est tam cōueniens naturali æquitati, quā voluntatē domini rem suam in alios trāsferre volentis, ratam haberi, *Instit. de rerū diu. § per traditionē.* Vnde multi prælati & plures ecclesiæ, & ciuitates, & castra possidēt hodie res in feu. *rub. de vas. qui contra constit. Lothar. feud. ali. c. præterea, § similiter.*

Sed an domini possint dare feudum hęreticis & apostaticis vel Iudæis, maxime feuda,

vbi ſunt mancipia Chriſtiana, ſeu homines & ancillæ; & videtur quod non: nam hæretici & apoſtatæ, & Iudæi, ex legibus Iudæi; quia ex moribus eccleſiæ haberi debent cum cæteris Chriſtianis; imo ſunt à conuerſatione hominum expellendi, *C. de hæret. & Manich. l. Manichæos, & C. de apoſt. l. vltim.* Item Iudæi non poſſunt poſſidere etiam mancipia Chriſtiana, nedum alios homines vel fæminas Chriſtianas. *C. de epiſc. & cler. l. vlt. §. fi. & ext. de Iudæis, c. multorum, & c. videri, & c. cum ſit nimis.* Imo ſi haberent, pręcipiendũ eſt eis, quod eos dimitterẽt, omni appellatione remota, *ext. de app. c. conſuluit nos, 2. & fac. l. 4. de mancip.*

Item, quæritur an dabit excommunicatis; videtur quod non: quia excõmunicatio non poteſt eſſe ſine peccato, ſiue participent criminoſo, ſiue crimini, *Extra, de ſentent. excom. c. nuper.* Si autem alius quam dominus det in feudum, puta vaſſallus, qui poteſt alium infeudare, vt *rubr. de feud. c. imperialem, §. illud quoque,* & dixi ſ. *rubric. qui poſſunt dare in feudum.*

Item dabit in feudum vaſſall. & tunc non poterit ſic largiter omnibus illud dare: prohibetur enim dare illi qui non eſt potens ad ſeruitium faciendum vt ipſe vaſſallus, *rubric. quot teſtes ſunt neceſſarii ad nouam inueſtituram, capite, ſi inter duos, §. ſimiliter nec vaſſallus.*

Item, non dabit fœminę, quę ad feudum ra-

tione sexus non aspirat, *rubri. de gradibus successionis in feudo.* Quod autem diximus supra *quod sit potens, vt ipse vass.* intelligimus, id est, quod ad seruitiũ debitum faciendũ, vt posset illud peræquè facere vt vasallus. Item, non dabit ecclesiæ, *rubri. de alienat. feudi, c. si clientulus.* similiter nec clerico, vel conuerso, vel monacho: sunt enim inhabiles ad pugnandum, *ext. de vot. & vo. redemp. c. ex multa, §. si.* quorum arma sunt lachrimæ, non tela, *23. q. 8. c. clerici.* quia etiamsi haberent feudum perderent illud multo fortius, non debet eisdem aliquod nouum dari, *rub. si de feudo contentio sit inter dominum & agnatos vassal. c. qui clericus efficitur, & rub. hic leges consuetudinis regni incipiunt, c. ex hoc.*

Item, non verò dabit seruo alieno, quia eius non est liberum arbitrium seruiendi, *arg. ff. de regu. iur. l. velle non creditur*; quod intelligi potest, quando ipsum ad seruiendum vellet substituere ipse vassallus domino loco sui; quia sic non est par eidem in seruitio faciendo. Item, non dabit hæreticis, Iudæis vel excommunicatis eadem ratione, qua diximus supra ipsum dominum principalem concedere non valere, in §. *sed an domini.*

Item, non dabitur ei qui est in papyro domini sui, vel Regis, vel Imperatoris, cui subest dominus principalis: est enim ei ciuitas interdicta; & ideo loco deportati habetur, *ff. de bon. liber. l. qui cum maior, §. is dominum.*

&ita

& ita non est habilis ad seruitium exhibendum.

Item, non dabit inimico capitali domini sui, sicut ei prohibetur copulare amicitiam cum inimico domini, *argum. ff. de offic. præf. vrb. l. 2. §. cum patronus*, multo magis alias videtur prohibitum, bona domini ei dari, *arg. ff. de ser. expor. l. cuius.*

Item, non dabit deportato, nec heres potest institui, *C. de hæred. instit. l.* 1. Item prohibetur dare Comiti, Marchioni, vel Baroni tali vicum, qui sit potentior domino principali, qui non sit habilis de facili conueniendi & coercendi ad seruitia facienda, *argument. ff. qui satisd. cogunt. l. 2.*

Item, non dabit illi qui prorsus est de alieno foro, siue iurisdictione quam dominus principalis, *argum. ff. de alienat. iud. mu. causa fact. l. 1.* aut alicui qui sit propter talem concessionem dominum vexaturus. quid enim, si erat castrum vel aliqua alia munitio in feud. quam si haberet alius, ex ea esset dominum vexaturus; & ideo non licebit, *argument. ff. eod. tit. l. aut alium.* Ratio est in prædictis aliis casibus duobus, scilicet quod oportet dominum experiri cum tali vassallo alterius prouinciæ in prouincia illius, quando seruitium non præstaret, quod domino graue esset, vt in prædicto *c. licet*, & potentiori non posset dominus esse par. & sic dura & difficilis domino concessio talis esset, *eodem titulo, l. 5.* &

fieret contra illud *c. si sacramentũ quod præstat vass.* sc. facile possibileq;. Si autem concedat ciuitati vel castro, vel alicui vniuersitati, videtur posse concedere, quia & vsusfruct. potest ei constitui, *ff. quibus mo. usufru. amit. l. si vsufru. ciuitati*, & durabit ei, sc. ad centũ annos, quibus finitis, ad dominum reuertetur, *ff. de vsufruct. l. an vsufruct.* Item, an filiofam. concedet, sicut *argu. rubr. qui debeant succedere in feudo, c. successionis, in princ.* nam ex omnibus contractib. filiusfam. obligatur, præterquam in mutuo, & in voto, *ff. de iud. cap. ex contractibus, & ff. de act. & obl. l. filiusfam.* non enim hoc casu cuius filiatio impedit causam feud. dummodo sit aliàs habilis ad seruiendũ, *arg. ff. ad Treb. l. quo ad ius publicum.*

Sed nunquid curiali concedere poterat? videtur quod non, *arg. C. quod non loc. l. Curiales.* Idem videtur de militib. *eo. tit. l. milites.* Sed hoc verum puto, si erant milites tales, qui numeris & in signis deberent iugiter inhærere, vt rempublicam à qua alũtur, ab omni bellorum necessitate defenderet, & propter huius feudi concessionem armorum vsus omitteretur, & non armis sed priuatis negotiis occuparentur, vt prædicta *l. milites*, continet: alias autem vassall. feud. seruiret secũdum consuetudinem feudi, potius dabit militi, quam priuato seu pagano. vt *rub. si de feud. contentio sit inter dominum & agnat. vasall. c. vasal. feud.* nam habiliores sunt milites ad seruiendum feud.

feud. quam alii homines: & ideo est eis facilius & congruentius concedendum.

Quid si fieret concessio personis prohibitis? sine domini voluntate concessio siue datio nulla erit; & sicut quando emphyteuta in personas prohibitas alienat, cadit à iure emphyteutico & dominus rem vendicat. Sic dici poterit in hoc casu, vt à iure feudi cadat vasall. & dominus feudum poterit vendicare, *argument. Cod. de iure emphyteut. l. vltima.*

Quæ res poßunt dari in feudum,

CAP. V.

VIdimus quibus personis datur; sequitur videre quæ res possunt dari in feudum: possunt dari propriæ res immobiles, quæ in patrimonio nostro consistunt.

Item, res quæ inter immobilia computantur, vt decimæ, primitiæ vel certi anni redditus debendi de camera vel canaba domini, vel vectigali: vtputa, de cauena vel fundo, siue sint redditus in pecunia, vel frumendo, vel oleo, siue vino, vel alio quouis fructu. Quod huiusmodi res possunt dari in feudum dicitur & notat. *in lib. feud. rubric. de feud. cognitione, c. Hubertus de Orto.*

Sed notandum illud est in feudo cameræ vel canabæ, non debere dari, nisi sit in

camera vel canaba vnde solui possit aliàs; sed si ista sit vacua sine culpa domini non debetur interim. Sed expectandum est donec aliquid sit ibi, quod dare possit dominus. Dari posse intelligitur omni ære deducto alieno, vt probantur ista *rubri. quod debeant suo infeu. c. notandum est*. & facit ad hoc *l. de dote præ. l. 1. §. sed & si dotem; ibi, namque & si quis ita legauerit; centum quæ in arca habet si nulla in corpore mihi debetur*. Sed contra. *C. de fa. si causa adiect. l. siue*. Solutio. Distinguitur, aut quantitas exprimatur, vt corpus, vt prædicto *c. notandum & precium, §. si dotem, & ff. de legatis 1. l. plane, §. sed hoc ita*, & tunc non debetur quantitas nec corpus ignotum, vt *ff. de leg. 2. l. Lucius, §. quisquis seruum, §. si quis*. Aut quantitas in genere certa, & tunc falsa demonstratio non nocet, sicut nec nocet in §. *quicunque, & l. sed & si contractus, & l. sicut*. Item ad id quod supra dicitur, exspectandum donec sit ibi factũ, *ff. de contrahen. emp. l. si debitor, §. fi. & ff. de verb. obl. l. inter sti. §. sacramentũ, & ff. quando di. leg. ced. l. funeris*. Et quæ taxationis vices obtinet hæc verba; *quæ mihi venalia erunt*; vnde quod totum est, totum debetur; & quando minus, minus debetur, *ff. de vin. & oleo tri. leg. l. cum certus numerus*. Item, ad id quod teneatur dominus præstare omni ære alieno deducto: facit *ff. de re. iu. l. cum ex causa donat.* veruntamen res illicitę non possunt dari, quarum prohibita è alienatio, *arg. l. vt fundi dotalis, ff. de fun.*

fun. do. l. sed & res quæ subiacent restitutioni, C. cõmunia de leg. Authen. quæ res. Item, quod diximus *decimas dari*, verum est ad tempus, non tamen in perpetuum concederetur, probatur hîc per multa iura in *Decre. 10. q. 1. c. vlt. & ext. de his quæ fi. a præl. sine cons. cap. c. cum in apostolica. & extra. de decimis c. prohibemus, & c. ad hoc. 10. q. 1. c. 1.* ad tempus tamen non vt titulus, sed vt dispendium decimæ perceptũ laico posset concedi, *ar. 22 dist. si quis 2.* Iure tamen dominii & possessionis penes ecclesiã remanente; quia laici non possunt decimas possidere, *ext. de pres. can.* Ideo diximus, *non posse concedi in perpetuũ.* quia perpetuus feudatarius haberet vtile dominium: sicut emphyteuta & superficiarius, *ff. si ag. vectig. l. 2. §. fi. ff. de superfi. l. 1. §. quotquot, ff. de rei vendicat. l. idem superficiarius, & l. prætor.* & sic etiam dominio priuaretur si etiam perpetuus concederetur; quod esse nõ potest: fiet igitur de decimis ad tempus concessio, vt dictum est. Itẽ possunt res mobiles consistere in feudo, nisi tamen principaliter per se: sed cui accedunt rebus immobilibus, vt serui & ancillæ & adscripti glebę fundi feudalis, quę sunt pars fundi, *ff. de diuers. & tempo. præscript. l. 3.* qui sine solo non possunt alienari. *C. de agri. & cen. l. quemadmodum.*

Item, non possunt dari in feudum res sacræ, vt ecclesiæ, quia earum prohibita ẽ alienatio, vt *C. de sac. san. eccle. Authen. multomagis.* Quod

autem dicitur, *res ſacras non poſſe in feudum dari*, verum eſt, a laico laicis: quia nullum earum rerum eſt cõmercium, *C. de contrahen. emp. l. & liberi.* neque legari poſſunt, *ff. de leg. 1. l. cætera.* Sed ab epiſcopo poteſt concedi eccleſiæ cum ſuis bonis & clericis; quia ea donari licet perſonis eccleſiaſticis, non ſecularibus, *Extra. de dona. c. conſultationibus.* Sed aliquo caſu laicus eccleſiam concedere poteſt in feudum. Reſpondeo; poteſt, cum vniuerſitate, puta, ſi dominus habet villam vel caſtrum, in quo erat eccleſia, in qua habebat domin⁹ eius ius patronatus: tunc dominus infeudando villam vel caſtrum trãsfert ius ſuum patronatus, quod ei in eccleſia competebat, *extra. de iur. pat. c. ex litteris.* & ſic cum vniuerſitate tranſit eccleſia, quod per ſe ſolum non poſſet; *argument. eodem tit. l. cum ſerui. & extra. de re iudic. c. cum Bertoldus. & argum. ff. de adquir. re. do. l. quidem, & ff. de contrahend. empt. l. in modicis*: ſic erit in ſyndico tali, qui cum vniuerſitate aliarum rerum tranſit, *argu. ff. de fundo dot. l. 1.*

Item, non poteſt dari in feudum res publica, quæ in publico vſu habetur, vt eſt campus Marcius vel forum; vel theatrum, vel logia: nam ei non eſt eorum commercium, *ff. de contrahen. emp. l. ſed Celſus.*

Item, licet dictum ſit ſupra, *res quæ in patrimonio noſtro conſiſtunt dari poſſe in feudum*, tamen poſſunt dari etiam quæ ad præſens non con-

consistunt; semper tamen debere consistere, vt est fundus, vel casale, quod est modò in hostium potestate, vnde dominus quōdam illius casalis vel fundi recte illud tibi concedet in feudum. quæ concessio habebit effectum, quando fundus iure postliminii in potestatem domini reuerteretur, habebit talis fundum, *ff. de act. emptio l. vlti.* & tenetur dominus e-contra, si tamen in suam peruenerit potestatem; sicut & quando concederet in feudum rem alienam, si postea efficiatur domini, tenetur illam rem ratam habere, *ff. de rei ven. l. si a Titio, ff. de exceptio. rei iud. l. penul. ff. de dol. except. l. apud Celsum. § si a Titio.*

Sed numquid res mobilis, puta equus, vel scyphus auri vel argenti, vel vestimenta serica vel alię res mobiles poterunt per se in feudum concedi? videtur quod sic: quia vsusfruct. potest quodam modo in eis rebus constitui, suprà *de vsufr. & earum rerum quæ vsu consu. l. 1. & 2.* præstita cautione, quod finito feudo reddatur æstimatio dictæ rei, *arg. eo. tit. l. 2. & l. si vinum, & l. quoniam.* Sed quamuis de rigore iuris ciuilis hoc posset fieri, tamen in vsu non habetur, vt constituatur in rebus huiusmodi mobilibus feudum. nam nec emphyteosis in rebus mobilibus esse potest. *Cod. de sacro san. eccles. l. iubemus, §. vltim. & Authent. si quas ruinas. & Authent. perpetua, de iure emphyteut. l. 1. & 2.*

Quibus modis constituatur feudum,
CAP. VI.

SEquitur videre, quibus modis constituatur feudum; & certe constituitur inter viuos pactionibus & stipulationibus, &c. in vltima voluntate, sc. vel testamento. vel codicillo, vel donatione causa mortis, vel alia qualibet voluntate. Sic constituitur vsufr *ff. de vsufr. l. 3. in prin. & §. & si non testamento.* Pacto cōst tuitur, quum dominus pacto permittit se daturū feudum alicui vassallo, sine aliqua solennitate verborū gratis, & amore præcipuo paciscendo, sic est pactum, *ff. de pact. l.* 1. sic feudum amore quærendum est, non precio constituto, in *lib. feud. rub. de feu. dato iur. leg. commissoria, c. si quis obligauerit.* Stipulatione constituitur, quando vass. interrogāte dominū si promittit sibi dare tales possessiones, seu fundos in feudū, dominus interrogatus, statim respondeat, *promitto*: sic concipitur stipulatio per interrogationem præcedentem, & responsionē subsequentem, *ff de ver. obl. l. 1 §. stipulatio & l. continuus, & C. de vsur l. 1.* In vltima voluntate constituetur, quando legatur à domino res in feudum.

Item, quando instituitur quis heres in bonis suis, vt ea teneat iure feudi, vel à rege, vel à Comite, vel à domino sibi subesse dominum, legatur, vel vt à coherede teneat iure feudi, si dominus plures fecit hæredes: potest enim v-

num

num grauare vt partem hæreditatis teneat in feudum à coherede; & sic dicitur feudum ad nos per successionem pertinere, *rub. de feud. cognitione, c. sciendum est, & de gradibus success. in feudo, c. 1. in princ.*

Item quæritur, quum nondum pactũ constitutum est in feudo siue permissum, an poterit vassallus agere contra dominum vt tradat ipsum sibi: videtur quod non; quia secundum leges ex nudo pacto non oritur actio, *ff. de pact. l. iur. gent. §. sed cum nulla.* Sed de iure Canonico bene agitur ex nudo pacto; quia quantum ad dominũ, non interest inter simplex votum & solenne seu iuramentum, in *Decret. can. 22. q. 1. c. prædicandum, & 12. q. 1. quicunque suffragio, & q. 5. quia Iohannes.* Et est ratio canonum. quia dum venit quis contra simplex verbum, mortaliter peccat, vt 22. *q. 1. c. prædicandum.* Vnde dicit Decret. *Quod procedit de ore meo, non faciam irritum.* Cor enim loquẽtis debet ori cõuenire 13. *dist. Psalmista.* Vnde probabiliter dici posset, quod sicut donator ex nudo pacto compellitur perficere donationem, similiter compellatur dominus perficere infeudationem, licet conuenitur dare nudo pacto, *C. de donat. si quis argentum.* & sicut datur ibi condictio ex lege, sic & detur condictio ex moribus; quia eadem est causa munificentiæ & gratiæ vtriusque. Sic enim donatio fit amore vel gratia, nullo iure cogente *ff. de donation. l. donari.* Sic feudum

datur amore & gratia, vt *rub. de feu. dato iur. leg. commißoriæ, c. si quis obligauit.* & licèt dominus det feudum vt seruitiũ sibi fiat, nõ obstat: quia & donatio fit ob causam vt seruitiũ vel aliquid donationi prę̃stetur, & tamẽ nihilominus donatio appellatur, *C. de don. quæ sub mod. l. 1. et per totũ, & C. de præscr. ver. l. ea lege reb.* Vnde cum eadem sit ratio in vtroq;, etiã idem est existimãdum, *C. ad l. Fal. l. vlt. & ff. ad l. Aquil. l. illud.* & quia ex morib. nouis & consuetudine inductũ est in feudũ condictione, ex morib. poterit agi cõtra dominũ, qui nudo pacto cõuenit se feudũ daturũ, *arg. ff. de cõd. ex lege, l. 1.* Cum aũt stipulatione feudi promissũ sit certũ, tunc certi cõdictione ex stipulatu agit vasal. contra dominũ promittentẽ, *ff. si cert. peta. l. si quis certũ.*

Quid si dominus promisit se daturum vass. vnum feudum; nec monstrauit seu expressit quale feudum, sc. magnum vel paruum? videtur nõ valere, fundo incerto donato, *ff. de iur. dot. l. cum pot. §. gener.* Quare videtur valere, *ff. de legatis 1. l. si domum.* Super hoc distingue, an dominus, puta Rex vel Comes habebat feuda certa & determinata in regno, vel terra sua, an non primo casũ valet promissio? Sed ad quod feudum tenebitur, magnum, vel paruum? videtur quod ad minimum, seu exiguum teneatur, *ff. de legat. 3. l. minus.* vel ad mediocre feud. obligatur, *arg. ff. de auro & ar. leg. l. qui latiore.* vel ad maius feudum, vt cõtra dominum fiat interpretatio, qui potuit apertius

ex-

exprimere quod promisit, *arg. ff. de pact. l. veteribus, ff. de contrahen. empt. & vend. l. in lege, & l. Labeo.* Posset dici cōsiderandam esse qualitatem, & statum accipientis, vt si alicui viro clarissimo vel militi strenuo feudum promisit, non est verisimile dominum, qui honorem habitum voluit ei cui feudum promisit, modicum feudum præstare voluisse, *argum. ff. de iudic. l. sed & si susceperit, §. sed si proponas.* Dignitas enim vassalli facit ad augendum feudum. *argum. ff. de legat.* 1. *l. si seruus plurium, §. fin.* Si vero vassallus erat mediocris status, feudum mediocre sibi detur. Vbi vero determinata feuda non erant, & dominus dixit se vnum feudum daturum, non valet: quia minimum feudum dando, liberare se posset, vt in eo etiam nec palmam, vel etiam digitum propter breuitatem ipsius extendere posset, sic derisorium esset feudum; quia feudum, sicut fundus arbitrio patrisfam. constituitur, *ff. de leg. 1. l. quod virorum, §. si quis potest, & ff. de verbo. signific. l. recte, in fin. & l. locus.* Vel possumus dicere vt serui inspiciatur quale sit seruitium, quod expressit dominus sibi præstari tempore promissionis, vt considerato seruitio, puta vnius militis, vel duorum, vel plurium expressorum in commercio de feudis conuenieiis, inspecta consuetudine patris, seu domini regionis, *argument. ff. de legat. 1. l. seruus plurium, §. numerus, ibi, deinde regionis, &c. & argument. ff.*

de regul. iur. l. semper cõsiderabitur quę facultas bonorũ domini: & charitas & necessitudo erga eum cui promissum est feudũ, *arg. §. eo. & ff. de alim. leg. l. cum alimenta, & d. l. numerus indistincte.*

Sed quæritur, an sentẽtia constituatur feu. veluti cum esset quæstio inter vas. præcedente se habere rem in feud. & dominum negantem esse feudum, iudex iudicauit feudum fore. Respon. Bene constituitur feudũ per sententiam, quo ad partes litigantes; quia rebus iudicatis standum est, *C. de re iudic. l. 1.* & res iudicata quantum ad partes pro veritate accipitur, etiam si contra ius litigatoris lata sit, *ff. quæ sen. sine ap. res. l. 1. §. 1. & extr. de re iudic. c. cum inter vassal.* Nam cum possit constitui feud. vltima voluntate, seu testamento, ergo & per prætorem constituetur, *ff. de pignor. act. l. non est mirum*, nec obstat *ff. de seru. vend. l sicuti, §. distat*, ibi, *per sententiam non debet seruitus constitui, sed quæ est declarari*; quia verum est quod sententia non dicitur constituere, cum ille qui præsidebat ius seruitutis allegaret, aliàs sibi debitum: & ideo sententia nõ dicitur constituere, sed cõstitutam esse declarat; & ita declaratio facit ius cõpetere victori in seruitute, vt ex sentẽtia sic defendat, quamuis nõ appareat aliàs sibi debitam seruitutem; & sic in feudo idem probabiliter dici potest: nam vt vsufru. tuitione prætoris dicitur constitutus, *ff. quib. mo. vsufr. amitt. l. 1.*

Sed

Sed quæritur, an poterit sic constitui; puta, Obligo tibi rem pro centum, & si non soluero tibi ad terminum, habeas rem in feudum, *rub. de feud. dato leg. cōmissor. c. si quis.* & ideo post triennium ibi reddit pecuniam & recuperat rem datam, *c. e.* Ratio est, quia feudū non sub prætextu pecuniæ, sed honore & amore domini est quærendum.

Item, quæritur: Pone ita, vt dictum est, esse constitutum feud. vas. vendicat à tertio, ille tertius possessor excipit non valere; constitutio talis feudi, vtpote in formam legis commissoriæ celebratū, an propter hoc excludet ipsum à vendicatione feudi, cum principalis dominus de talibus opposuerit vassallo? Resp. non obiiciet hic possessor, vt in Lombardia de pignore, *l. si quis fideiussor.* De suo enim iure, non de alieno debet quilibet se tueri. Et hoc est quod not. in simili casu. *ff. si ager vect. l. 3. in gl.* Idē, & si non soluant, quo ad extraneos; nemo enim potest ius extranei allegare, *ff. si vsufr. pe. l. vti frui. ff. si seru. ven. l. loci.* Idem iuris, si vendidero tibi domum pro centum, data certa parte pretii non soluti, vt & e. c. recitatur. vt eadem sit ratio de parte quo ad partem, quæ est de toto, quo ad totum, *ff. de rei ven. l. qui de tota.*

Qualiter acquiratur feudum, Cap. VII,

SEquitur videre qualiter acquiratur feudũ, ad hoc sciendum quod acquiritur si in testamento, seu in vltima voluntate sit constitutũ: nam acquiritur in hæreditate, *ff. de leg.* 1. *l. si tibi hom.* § *cum seruus, & ff. de fur. l. a Titio.* & sic successione acquiri dicitur, sc. post aditam hæreditatem defuncti legantis, & iure hæreditario relinquentis: sic intelligitur in *libro feud. de feudi cognitione, c. sciendum, in fi. & de gradibus successionum in feudo, c.* 1. *in principio.* & hoc, si ille, cui relictum est feudum, voluerit ad se pertinere; alias sibi non acquiritur: vt *eo.* §. *& ff. si cer. petat. l. perinde. & ff. de legat.* 1. *l. legatarius.* Nisi autem constitutum est feudum in contractu habito inter viuos, ad hoc vt perfecte acquiratur, oportet quod inuestitura fiat de feudo, alias non acquiritur sine inuestitura, vel alio quod sit loco inuestituræ, vt in *libro feu. quot testes sunt necessarii ad nouam inuestituram. c. sciendum, rubri. de feud. c. sciendum.* Item, quod fiat possessionis traditio corporalis; & tunc vere dominium saltem vtile competit, vt *C. de pact. l. conditionib.*

Inuestitura autem fit, cum dominus qui feudum concedit, tenẽs aliquid in manu, puta baculum, anulum, vel byretum tradit illud in manu vassalli, dicẽs, *Inuestio te feudo tali*: quã inuestituram potest facere qui habet admini-

stra-

ſtrationem ſuorum bonorum, quando eſt nouum feudum; ſi autem eſt vetus, poterit etiam facere pupillus, *rub. quid ſit iuueſtitura. c. inueſtitum.* Qualiter autem fiat inueſtitura, videbitis in *rubri. de inueſtitura.* & de hoc habetur *Extra. de his quæ fi. à præl. ſine conſ. cap. c. ex eorum, extra. de re iudic. c. cum olim.* Item, ſufficit quod inueſtitura ſit; puta, ſi patiente domino vaſſ. poſſeſſ. feud. accepit. nam patientiâ transfertur poſſeſſio, *ff. de don. l. qui ſaxum. rub. de feud. cog. c. vlt.* Item ſcire debetis, quod alius poteſt de feudo per vaſſallum à domino inueſtiri, *Extra. de præben. c. accedens.*

Sed an aliquis per procuratorē eius poterit inueſtire? videtur quod non, ſed per ſeipſum facere debet, *arg. C. de iur. emphy. l. vlt.* Item videtur, quod inueſtitura à poſſeſſione transfertur conceſ. feu eſt in conſpectu, & demonſtratur vaſſallo vt eam de cetero ſibi habeat, *ff. de acquir. poſ. l. quod in eo, §. ſi venditorem.* vel ſi dominus per vaſſallum conſtitueret poſſidere, *ff. eo tit. l. quod in eo.* vel ſi claues caſtri, vel villæ vel domus conceſſę in feudum dominus tradit, *ff. de peric. & com. rei vend. l. clauibus.* vt ſi dominus inſtrumenta ſeu chartas prædiorum tradidit, vt *C. quæ res pig. oblig. poſ. l. 2. & C. de dona. l. ſi quis arg. §. ſin autem.* vel, ſi dominus conducat certa penſione rem feud. à vaſſ. *ff. de rei ven. l. cum quidam,* vt ſi vaſſ. tenebat rem feud. & dominus poſt ceſſionem feudi patiatur ipſum vaſallum rē tenere, *ff. de adquir.*

re. dom. l. qua ratione. §. interdum, Instit. de rer. di. §. interdum. Item, acquiritur feudum pręscriptione sc. xxx. annorũ, si vassall. ipsum vt feudum possedit, licèt non fuerit de ipso à domino inuestitus. *rubri. si de feu. contentio sit inter dominum & vass. c. si quis per 30. annos, & rubri. de feu. c. imperialem. §. si quis 30. an.*

Sed an longo tempore possidens, vt feudũ posset contra dominũ se tueri, videtur, quod cum probet se tanto tempore possidere, domino sciente, ex se seruisse domino, & vt vass. à domino se receptum, quod detur ei defensio vt domino iurando se vassallum esse; & feud. a domino inuestitum. Statur enim assertioni præstito taliter sacramento, *rub. quot testes sunt necessarii ad nouam inuestituram. c. sciendum.* Quãdo autem stetur sacramento possessionis vel non, dicemus infra de inuestitura. vnde tamẽ sciendũ, ꝙ quando est noua possessio vass. non dabitur ei sacramentum, licèt velit iurare se habere in feudum & a domino inuestitum, *rub. quot testes sunt necessarii. c si inter dominum.* Sed petenti & iuranti domino se non dedisse in feudum, possessio restituetur, *e. c. in fi.* Sicut & dicendo, quod putet se habere in feudum, *arg. ff. de iur. iur. l. si duo patroni. §. si quis iurauerit, & §. Marcellus namque. & hic vxori ait vtilem action. & Cod. de pigner. action. l. nec creditores.*

Quali-

Qualiter retineatur feudum & alienetur, Cap. VIII.

VIdimus supra, qualiter acquiratur; sed quia multę & innumerabiles causę rebus incidunt mortalibus, per quas iugiter homines quod habent, retinere non possunt, *C. de vsufr. l. corruptionem.* ideoque videre conuenit qualiter alienatur feudum acquisitum: & super hoc videndum est si in concessione feudi dominus vass. concessit alienare, tunc tantum poterit licite facere, sicut permissum est in contractu, *C. de iure emphyt. l.* 1. Itẽ, si concessum est feudum vt ipse vass. & sui heredes, & quibus ipse dederit, habeant; & in isto casu alienare poterit vassallus, vt *libro feud. rubri. de vassallo illo qui contra constitutionem Lotharii Imperatoris beneficium alienauit. c. ex facto c. quartum. §. si quis ea lege.* & * postea prædictis casibus alienabit, etiam sine domini voluntate, * & videtur quod sic. Vasallus est debitis obligatus, quæ nequit soluere aliunde, secundum consuetudinem regni Hierusalem, vendet feudũ, & de pretio suũ debitũ soluet, & sic necessitate suadẽte alienatio permittitur; quod non permitteretur aliàs, *in lib. feu. rubri. qualiter iurare debeat vassallus dom. c. 1. §. & econtrario*, ibi, *necessitate namq; suadente, nisi permittit partem alienare, alia parte retenta.* Quidam dicunt ibi restari, & quod antiquo tẽpore fieri poterat alienatio in par-

te, non autem hodie hoc licebit, *rubr. de vass. illo qui contra constitutionem Lothar. c. si vassallus, & rub. de feu. c. imperialem.* vel prædictæ constitutiones Lotharii & Friderici locum habent in feudis Italicis.

Sciendum est quod in casu, quo dictum est, licere vassallo rem vendere, feudum puto congrue obseruandum, vt vassallus prius denuntiet domino se velle vendere, vt si dominus velit, emere possit primus; eo autem emere recusante vel negligente, infra duorũ mensium spacium post denuntiationem factam, domino per vassallum extunc vendere licebit vassallo, & in personas non prohibitas ius suũ transferre, *C. de iur. emphyt. l. vlt.* Secundum consuetudinem huius regni, faciet vassallus notificari palam per tres proximas ciuitates, qualiter vult feudum vendere pro debito soluendo, & plus offerenti dabitur sine fraude, & dolo. Item sciendum est, quod pro paruo debito non permittetur de facili vendere feudum, sed potius obliget creditori, quod ex fructibus sibi debitis soluant; quod si creditor nolit recipere, tunc considerata debita quantitate, mediocrem rem alienabit, inspecta ipsa qualitate & quantitate & honore; non ergo pro modico debito rem vendet magni pretii, *arg. ff. de rebus eorum qui sub tut. vel cu. consi. l. magis, §. in primis, & C. de sac san. eccl. Authent. hoc ius porrectum, & c. 10. q. 2. hoc ius.* Item alienabit & vendet vass. agnatis, *rub. de vass. illo*

qui

qui contra constit. Lothar. benefic. alienauit, c. alienatio, & arg. C. de fidecommiss. l. voluntas. qui in emendo domino prefertur, *arg. d. c. alienatio, rubr. qualiter iurare debet vass. domino, c. in prohibendo.* Item alienabit vassall. sc. dando in feudum æquali vel meliori vass. *rubri. quot testes sunt necessarii ad nouam inuestituram. c. si inter duas, §. Similiter.*

Item, poterit alienare licite partem feudi, licet non totum, secundum quosdam. *rubr. de alienatione feu. c. si clientulus, & rubri. quibus modis feu. amitt. c. quia sunt, § item si fratrem.* Sed ibi loquitur quando libellarius nemine mediante concedit. Est autem concessio per libellum, quando concedit rē pro certo pretio vsque ad certum tempus, puta 28. an. subiecta annua pensione, & solet etiam adiici in eodem contractu, vt fisco, libello sub eadem pensione & conditione debeat renouari. *rubri. de lib. c. restat.* non tamen concedet vass. ecclesiæ per libellum, prædicto *c. si clientulus.* Sciendum est tamen, quod prędicto casu quando per libellum concedit vassallus, si sine fraude fiat, valet, *rub. de feud. c. imperialem, §. calidis insuper.* Item, mortuo vassallo sine hærede ad dominum reuertitur feudum, concessione facta huiusmodi non obstante, vt *prædicto c. si clientulus.* Idem est si vassallus viuens refutauerit ipsum feudum; quia ille qui accepit, nullo modo poterit aduersus dominum se tueri, *rubri. quibus mod. feud. amitt. 1.*

Quid si ille qui libellario iure vult mortuo vassallo domino seruire, an dominus auferre sibi poterit rem concessam; & videtur quod non, *arg. rubr. qualiter iurare debet vassallus dom. c.* 1. §. *si vero, vel totum, in fin.* §.

Item quæritur, an poterit mulier habens feudum illud, dare in dotem, vel pater pro filia, vel maritus dare in donationem propter nupt. vxori, maxime eo casu, quando aliàs non est ei sufficiens patrimonium ad dotem dandam, vel donat. propter nupt. faciendam; videtur quod possit: nam vbi aliàs prohibita est rei alienatio, tamen in casibus prædictis conceditur, *C. communia, de leg. Auth. res quæ.* Fauor enim publicus dotis fieri hoc persuadet, *argu. ff. sol. matr. l. 1.* & quia vsufruct. habens potest dare in dotem: & valebit se viuẽte, sic & feudum, in *Auth. de nupt.* §. *si vero.* Item maxime eo casu, quando pater vellet dare feudum in dotem pro filia; videtur non licere; quia filia à feudi concessione & beneficio est exclusa, *rubr. de feu. suc. c. 1. §. filia.* Posset dici in fauorem matrimonii & sobolis procreandæ dare licere in dotem, & donat. propter nupt. non obstante *dicto* §. *si vero.*

Item quæritur, an vassallus possit dare rem in emphyteusin, videtur quod non: quia dare in emphyteusin, alienatio dicitur, in *Auth. de alienat. emphyt. in rubr. & textu.* Sed dicas posse dare eo iure, quo & feudum dari potest: nam & ibi alienat. sc. quia transfert vtile domi-

minium in vassallum, ita & hoc transfertur in emphyteutam, poterit eo iure; quia de similibus idem est iudicium, *C. ad l. Falc, l. vlt. & C. de constit. pec. l. vltim.*

Item quæritur, an poterit donare sine domini voluntate? videtur quod sic: differt enim hoc, posse donare emphyteutã, vt *Cod. de iur. emphy. l. vlt. & extra. loca. c. potuit, ibi, not. per legem de fun. pat. l. 1. & C. de prædi. decur. l. vlti.* vbi qui habent feudum in emph. à fisco, potest donare, dummodo pensio suis temporibus fisco detur.

Item, quæritur, an poterit dare in eleemosynam pauperibus, videtur quod non, *rubri. de feu. c. imperialem.* nam etsi allodium suum feudale quisque contulerit ecclesiæ, vel alio contractu alienauit, nisi per gratiam, tãquam de nouo ecclesia recipiat, feudum retinere nõ potest, *rubri. in consti. imperialis feu. §. ad hoc, quod allodium.* debet enim quisque adorare Dominum de sua substantia, sicut dicit Scriptura, nõ de substantia aliena; puto tamen de fructibus quæ pertinent vassallo valere oblationem factam ecclesiæ vel pauperibus, donec durauerit ius feudale, dum tamen domino seruatur, *argu. C. de feudo patrimon. l. 1.*

Nec obstat quod dictum est, sc. posse donari alicui priuato seculari, secundũ quosdam & sine domini voluntate; quia ecclesia deterioris conditionis est, quã laicus, sicut libertas aliquando deterioris conditionis est, quã aliæ

res, *ff. de manu. l. fi. §. cum ex pluribus*, *& ff. de leg.* I. *l. si quis a filio*, *§. semper rem haberes*: quod graue esset vt dominus re sua omni tempore priuaretur, *rub. de alie feu. c. si clientulus*, *& ff. de vsufr. l. 3.* Alia ratio est, quia homines ecclesię habiles nõsunt ad seruiendũ domino seculari, puta, cum armis ad aliquid offendendum, *Ex. de vo. & vo. redempt. c. ex multa*, *§. fi.* quorum officium neminem offendere, omnib. autem velle prodesse, *arg. ext. de postu. c. cum sacerdotis*, *& in Dec. 14. q. 5. deniq;.*

Item quæritur, an vass. feudum suum poterit ecclesiæ dare in feu. *rub. si domini voluntas accedit*; planum est, quod non distinguitur persona accipiẽtis, *rub. quid sit inuestitura, c. 1.* aliàs videtur non licere; quia vass. non potest domino seruire per ecclesiam substitutã; quia inhabilis est ad seruiendum: vt diximus; quia arma clericorum lachrymæ sunt, *23. qu. 8. c. clerici.*

Quid autem si aliàs sunt habiles homines ecclesiæ ad seruiendum domino cum armis, sicut sunt Templarii Hospitalarii, vel Theotonici; quia pro aliis secularib. possunt iuuare dominum contra hostes, maxime in regno Hierusalem, vbi sunt ad offendendum hostes, & ad defensionem terræ Christianorũ potentialiter constituti: videtur prædicta ratio prohibitionis cessare; sed instabilis non cessat infirmitas illa, quia instabiles sunt, qui non possunt decedere sine hærede, vt dictũ est s. Sed

ad

ad hanc posset probabiliter responderi, vt sic: Cum cõstituitur vsufru. ciuitatis tenet, quamuis ciuitas semper duret, vt cum vsq; in cẽtum annos, quibus finitis ad dominum reuertetur, *ff. de vsufr. l. an vsufruct.* Pręterea non est nouum, neq; insolitum concedi feuda ecclesiis, *rub. de vas. illo qui contra constit. Lotharii beneficium regis alienat. c. praeterea, vt liceat.* vnde si vasl. infeudauit ecclesiis vel prælatis, non poterit eum dominus redarguere. Hoc forsan posset proinde tolerari in regno Hierusalem, propter fauorem defensionis faciendæ ab eis, contra pessimos Sarrecenos, inuadentes assidue iura regni. Si autem neglegerent seruire, ecclesia caderet a iure feud. ipso iure, *rub. quibus casibus feu. am. c. Hubertus de Orto, §. nec est alia iustior. nam & hoc est alias, C. de sac. san. eccles. l. iubemus nullum, §. si quis.* negligendo vel omittendo, potest pręlatus facere deteriorem conditionem ecclesiæ, *de pres. c. 1. 16. q. placuit & diffinitur, ext. de do. c. firmitatem.* nec est contra rationem cõmunem prædictã, cum multa propter publicã vtilitatem contra rationẽ iuris cõmunis introducta sint, *ff. ad l. Aquil. l. ita vulneratus, §. vlt.* Sin aũt feudum esset alicuius domini secularis (aliàs singularis) &c. graue esset domino, si vasl. alienaret alicui de ꝑdictis, quib. dominus principalis par esse nõ posset, & ideo eius durior esset caussa, *arg. ff. de alien. iud. mu. cau. fact. l. 3.*

Item quæritur, an vasl. rẽ feudi poterit obligare; videtur quod sic: *arg. ff. de pign. l. rem*

vectig. ſed contra eſt *rub. de feu. c. imperialem,* Item, an poterit locare; reſpond.ſic. quia prohibetur alienatio, vt *rub. de feud.c.imperialem.* Sed locare non eſt alienare, quia proprietatem poſſeſſ. rei locatæ retinemus, *ff. loc. l. non ſolum, & ff. de vi & vi arm. l. fin.* Sic & cõmodare & deponere poteſt mobilia, quæ ſunt in feudo eadem ratione, *ff. commo. l. rei commodata, & rub. qualiter iurare debet vaſſ. domino, c. 1. §. donare.* nec vetatur locare ſine fraude.

Item quæritur, an quolibet caſu poterit vaſſ. alienare feud. ſine domini volũtate. Reſpon. ſi feudum eſt nouum, puta conceſſum ipſi vaſſ. tunc poteſt alienare; ſi ſit antiquum, non etiam ſine domini voluntate, niſi agnatis conſentientibus, ad quos eſſet beneficium reuerſurum, *rub. de vaſ. illo qui contra conſtit. Lotharii. c. alienatio feudi.*

Item, quæritur an legare vel heredem inſtituere illos poſſit, qui aliàs nõ eſſent ſucceſſuri; videtur quod ſic. nam licèt prohibeatur alicui rem alienare, intelligitur inter viuos prohibitum, non in vltima voluntate, *ff. de alien. iud. mut. cauſ. fact. l. ex hoc edict. §. ſi heredẽ,* & transfertur dominium, cum transfertur in vltima vol. Sed quod non valeat relinqui etiã in vlt. voluntate, dici poteſt, quia eius alienatio prohibita eſt, à lege prædicta, *c. imperialem, rubr. de vaſſ. qui contra conſti. Loth. c. 1.*

Sed quæritur, an dominus viuente vaſſallo poterit aliũ infeudare ſine vaſſ. voluntate, videtur

detur quod non; *rub. de feu. c. imperialẽ, §. praeterea, in fin.* Sed contra, *rub. si de feud. contentio sit inter dominum & agnat. c. moribus.* Solutio potest considerare sub conditione, sc. si ad ipsum dominum reuertetur, secundo vassallo mortuo, vt *rubr. quid iuris si de alie. feud. quis inuestitus fuerit, c. moribus.*

Item quaeritur, an dominus poterit vendere, donare vel legare ius suum, sc directum dominium; videtur quod sic, *C. de don. l. spem.* nam proprietarius legat rem, in qua alius habet vsumfruct. & vni legat proprietatem, & alii vsufruct. *ff. de vsufruct. leg. l si alii feud.* Sed videtur non licere domino sine vassalli voluntate, *rubr. quot testes sunt neces. ad no. inuestituram, c. si inter duos, §. eadem l.* quod Mediolani non obtinet, licèt enim sine curia dominus in totum beneficium alienare potest, dum tamẽ aut aequali domino, aut maiori detur, non sine vass. voluntate.

Item, quando totum ius suum alienat, aut nouo domino iurabit fidelitatem, certe cum licita est alienatio, & alienat aequali domino vel meliori, vass. tenebitur nouo domino obedire; quod si ipse vassallus esset nobilior domino praelibato; eo enim iure quo vassallus est minor, quolibet domino reputatur, *arg. ff. de iur. om. iud. l. est receptum.* Assumsit namq; personã vass. cum feud. recepit. Non ergo pudeat semper eandem donec feudum duret habere personam, *arg. C. de postu. l. quisquis. §. vlt.* Hoc

enim euenire posse prospicere debuit, *ff. l. si quis domum, §. 1. ff. de condi. ap. infect. l. qui bona, §. cum inter, & ff. ad Treb. l. Lucius §. penult.*

Quid autem si vass. recusat facere fidelitatem, tunc feudo priuatur, *rubr. quibus casibus feud. amit. c. Hubertus de Orto, §. sed nec est alia.* & poterit deiici de eo, *arg. ff. loca. l. quaero, §. inter, & C. locat. l. eiusdem. & C. de iur. emphyt. l. 2. & C. de sacrosan. eccl. Auth. qui rē huiusmodi;* & ita est vnus casus iste quo potest vass. expelli à feudo. Alios casus nota ĵ. *quibus mod. feud. amit. §. item qui à domino.* In summa nota, quod si aliquis de capitaneis vel maiorib. vel minorib. valuassorib. suũ feudum tantũ secundum partem alienauit, & ipse vel hęres eius sine herede decessit, euacuari debet quod fecit; quia beneficium totum seniorib. aperitur, *rubr. de feud. dan. minor. valuassorib. c. si aliquis de capitaneis.* Sed pone, * scit capitane⁹ quidã in quadam charta beneficia siue feuda in venditione non contineri, nisi expresse actum sit, vt vendatur, *rub. qui debeant succedere in feud. c. quidam capitaneus.* In generali enim alienatione feudum non continetur, nisi dictũ fuerit nominatim, *rub. si de feud. contentio sit inter dominum, c. in generali, arg. ff. de pign. l. obligatione generali, & ff. de priuil. cred. l. penult. & C. quae res pigno. ob. pos. l. alumnos, rubric. quibus modis & casibus amitt. feud.*

Quibus

Quibus causis & modis feudum amittatur,
Cap. IX.

VIdistis s. qualiter feud. acquiratur & alienatur: sed quia ius quo vtũtur consistit nõ tantũ in acquirendo & cõseruando, sed etiam in amittẽdo, vt *ff. de leg. & SC^tis, l. fi.* consequẽter videatis quib. modis & casib. amittatur feudum: nã sine certa ratione & conuicta culpa, non est quis feudo vel beneficio priuandus, *rub. de feud. sine culpa nõ amittendo. c. sancimus.*

Sciendum ergo est, quod feudum amittitur pluribus modis; morte, capitis diminutione maxima, & media, ingratitudine, negligentia, dimicatione, inuasione, refutatione, bonorum cessione, alienatione, illicita pręscriptione facta ab altero de re feud. euictione rei re extincta, & negatione siue mendacio scienter facto de re feud.

Amittitur ergo morte, sc. quando vass moritur, cui erat ad vitam concessũ; vel si in heredes; &, si sine hæredib. moriuntur, tunc feud. finitur & ad dominum reuertitur: sicut amittitur & perit vsusfr. morte vsufructuarii, *ff. quibus mo. vsufr. amit. l. sicut in annos, §. morte.*

Capitis diminutione amittitur; veluti cũ de libero factus est seru⁹, vel damnat⁹, vel in perpetuis vinculis, vel ad op⁹ metalli, quo casu pdit libertatẽ, ciuitatẽ & familiã, *ff. de cap. dim. l. vlt.* Itẽ media cap. diminutione amittitur, quãdo amittitur ciuitas & familia, libertas tñ reti-

netur; vt cum aliquis est foro bannitus, sicut consueuit fieri in ciuitatibus contra malefactores, qui habentur loco deportatis. *ff. de bonis liber. l. qui cum maior, §. hi demum.*

Ingratitudine amittitur multis casibus, qui consistunt aut in faciendo, aut non faciendo, prout, in negligendo facere quod facere debet; in faciendo committitur ingratitudo per quam perditur feudum, si vass. assaliuerit dominum, scienter cognoscens dominum suum esse, in *libro feudorum, quibus mo. feud. amitt. c. quia supra, in §. Idem fidelis.* Similiter si castrum domini vel ciuitatẽ assaliuerit, sciens dominũ vel dominam ibi esse, *§. ibi similiter, & rubri. in quibus causis feud amit. c. Hubertus de Orto. §. si dominum.*

Item, si impias manus in dominum miserit. *arg. in Authent. vt cum de ap. cog. §. illud quoque, & dicto §. porro.* Idem forte si curauit vt dominus percuteretur in corpore suo, *ff. de iniur. l. non solum.* Quid si manus aduersus dominum leuauit, non tamen percussit, quia iniuria & vi tantum noxius est, *ff. de iniur. l. Item apud, §. si quis pulsatus.* Quid si quadam contumacia vel iactantia ceruices aduersus dominũ exerit, aut leuis offensæ cõtrahit culpam, videtur feudo priuari, sicut libertus hoc faciens contra patronum, priuatus est dicta libertate, *C. de lib. & eorum lib. l. si manumissus.* Sed forsan non sic stricte agitur contra vass. isto casu sicut contra libertum, qui cum esset

esset seruus & non homo, factus est homo, bonum est vt honoret, & reuereatur patronum qui manumisit eum, vt eum aduersariũ non haberet; grauiori siquidem pœna afficiendus est libertus, cum maius beneficium est collatum, *arg. C. de epi. & cler. l. presbyteri, in fi.* Item, si significationem & inhonestam iniuriã domino intulerit, vel morti eius insidiatus fuerit, veneno, vel gladio, vel aliter, vt pręalleg. *c. Hubertus, §. porro.* excusatur hoc casu, quando iniuriatur dominus in tutelam sui vass. tunc enim non dicitur iniuriari, sed iure facere, *ff. de iusti. & iur. l. vt vim. & ff. ad legem Aquil. l. scientiam, §. qui cum aliter.* Item, si delator sui domini extiterit & propter suam delationem graue dispẽdium eum fecit sustinere, *c. Hubertus, §. sed & qui delator.* sic hęres filius priuatur ab hæreditate patris & patronus à possessione liberti, quum delator eius extiterit, vt *Authent. vt cum de ap. cog. §. causas.* Idem est, si delatorem submisit, vel pro eo in causa delationis fideiussit, vel suo testimonio eum iuuauit. *ff. de bon. lib. l. quod cum maior, §. 1. & ff. de his quibus vt indig. l. legatum, §. qui accusauit.* Quod autem dicitur si testimonium dixit in caput domini vel patroni, feudo priuari, intelligatis quãdo sponte dixit; secus si coactus fuerit à iudice perhibere testimonium veritati, vt *ff. de his quibus vt indig. l. post lega. § qui autem libertus, & ff. si quis cau. l. 1. §. 1.* Item, si accusauerit dominum de cri-

mine famoſo vel capitali, niſi fecerit hoc pro principe vel republica, tunc excuſatur, vt in Auth. *vt cũ de appell. cog. §. cauſſas autẽ.* Item, excuſatur licet accuſauerit non tamen criminialiter, *ff. de bonis lib. l. qui cum.* Item excuſatur ſi accuſando ſuam ſuorumque iniuriã proſequatur vaſſallus, *e. l. §. ſi patris mortem.* Item ſi crimen, quod intendit probauit vaſſ. iur. excuſari ſecundum quoſdam, *ff. de iniur. l. cum qui neceſſitatem.* Hoc tamen intelligo, quando intererat liberti propter neceſſitatẽ dominii accuſare, vel ratione officii quod gerebat, *ff. de in ius vo. c. l. quandum*; alias quamuis patronus deliquirit, non debet ipſum nuntiare vel deferre ſi fecerit, beneficio eſt indignus, vt ſ. dictum eſt, *ff. ſi de lator.* Item excuſatur, ſi accuſatus retorſit in eũ crimina; ignoſcendum enim eſt vaſſ ſi prouocatus voluit ſe vlciſci, *ff. de bon. lib. l. qui cum maior, §. idem puto.* Item ſi ante ſententiam deſtiterit ab accuſatione, vel, ſi appellatione interpoſita, deſiit, *e. l. accuſaſſe.* quod poteſt intelligi quando puniendũ probauit crimen oppoſitũ, & ſic iniuria non habuit effectum, *ff. quod quiſquis iur. l. 1. §. fin.*

Quid ſi fuit aduocatus contra dominum, videtur excuſari; quia aduocatus non accuſat, *ff. de bon. lib. l. qui cum maior, §. ſi patroni.* arg. contra *ff. de inoffi. teſt. l. vlt. §. ex expreſſo. extra de poſtul. c. vlt.* clericus aũt qui contra eccleſiã, à qua habet beneficiũ, pro extraneis aduocauit, tanquã ingratus beneficio ſpoliatur, *arg. x.*

q.7.c.1.16.dist.si imperator,3.q.1.nulli. & sic vass. tenetur domino,*22.q.5.de forma, & in lib. feu. quemadmodũ ser. amittat.* Quidã distingũt, aut coactus à prętore aduocationem facit, & tũc propter iussum iudicis excusaretur, *arg. ff. de aqua plu. l. quãquã, & ff. de iur. em. iud.* vel ab ipso prætore iussus: potest enim prætor compellere aduocare, *ff. de postu. l.* 1. §. *ait prætor, & C. e. l. prouidendum,* & sic intelligo prædictum §. *si proui.* quod ignoscendum est ei, qui non sponte accusauit vel aduocauit *ea. l. quæcũ,* §. *si pater.* an sine cõpulsione sponte pro extraneis contra dominũ aduocauit; et tũc benefico est indignus, vt §. *clericus autem. cum suis concord.*

Item, si vass. est iudex, & in causa domini cõtra ipsum ꝓnuntiat, videtur si iuste iudicat, excusari: quia iuris executio nõ habet iniuriã, *ff. de iniur. l. iniuriarũ,* §. 1. si aũt male & dolo, tũc domino tenetur ad omne interesse, vt *ff. de iud. l. filius,* §. *iudex. & Inst. de obl quæ ex quasi de lib. vass. in princ.* vel, si placet domino priuare poterit eũ feudo quia venit contra debitã fidelitatẽ; quia iurauit vel promisit iura domini defensare. Quid si petat dominũ inseruitutem suã, vt seruũ redigi, & nõ obtinuerit, mox veritate comperta passus est ipsũ in libertate morari, dicendum est vass. hoc non obesse, maxime si habuit iustam causam errandi, *ff. de bonis lib. l. in seruitutem.* §. *si petierit.* Itẽ, quid si vassallus dominum accusauit eo crimine, cui⁹ pœna non est capitalis, veruntamẽ iudicandi placuit

augere pœnam; videtur hoc non nocere vassallo; quia imperitia, seu seueritas iudicantis hoc fecit, *ff. e. l. qui cum, §. is demum.* Similiter e conuerso accusauit de crimine capitali, iudex tamen benignissimus puniuit, vt non obsit instituta accusatio, idem est. Sed videtur non licere vassallo dominum accusare, etiã in modica criminali causa, vel testimonium contra ipsum dicere, aliàs priuatur, *rubric. c. quot test. sunt necessarii. c. sacramentum, §. similiter vassallum.* Item committitur ingratitudo in faciendo, videlicet si vxori vel filiis domini iniuriam fecerit, quia per eos dominus iniuriam patitur, *ff. de iniur. l. prætor, §. non solum, Instit. e. l. patitur.* & facit optime *ff. de offi. præ. vrb. §. non solum, l. 1. §. cum patronus.*

Item, si fratrem suum occiderit, vel nepotem vel filium ad hoc, vt totum feudum habeat, vel aliam feloniam commiserit; verbi gratia, hominem tradendo vt amplius in curia stare non possit; quod intelligo hominem, qui domino seruiebat, tunc bene priuabitur, *rubri. quibus mod. feu. amit. c. 1. §. item si fidelis, vt rubric. quib. caus. feud. amitt. c. Hubertus, §. si domin.*

Item, si munitiones domini, in quibus dominus confidebat, tradiderit inimicis, quia facit contra sacramentum fidelitatis in illo articulo, *tutum. supra de forma iuramenti, §. tutum.* Quid si cum inimicis domini parentelam copulauerit, videtur si in contrarium domini sui

fe-

fecit, beneficio ſpoliari, *arg. ff. de offi. præf. vrb. l. 1. §. cum patronus, & C. d inoffi. teſt. l. liberi, in fi.* Quid ſi vaſſallus dominum offenderit? dic quod feudo priuabitur. Illud quoque ſciendum, vt ſi vaſſallus de feudo ſuo alium vaſſallum habuit, & vaſallus vaſſalli dominum domini ſui offenderit, niſi pro ſeruitio alterius domini ſui fecerit, quomodo autem habuerat ſine fraude, feudo ſuo priuabitur, & ad dominum ſuum, à quo ipſe tenebat reuertatur, niſi requiſitus ab eo paratus fuerit ſatisfacere maiori domino, quem offendit: & niſi vaſſ. requiratur à domino ſuo, eum qui maiorem dominum offendit, requiſierit vt ſatis faciat: ſiue vaſ. feudum amittat, *rubric. de feud. c. quia imperialem, §. illud quoque.*

Qualiter feudum negligentia deperdatur, Cap X.

NEgligentia, quæ committitur in non faciendo, amittitur feud. ſc. ſi vaſſ. per annum & diem domino ſuo mortuo ſteterit, quod hæredem domini ſui inueſtituram præſtãdo, fidelitatẽ pollicendo nõ adierit; & cõtra, ſi domino ſuperſtite & filius eius perdictũ tempus prædicta facere neglexerit, beneficio carebit.

Item, ſi dominus principalis inueſtituram pollicendo, vaſſ. fidelitatem petierit, & illo non præſtante, dominus tribus vicibus conuenienti tempore interpoſito, forte ſeptem dierum ſpatio, ad curiam ſuam ſuper hoc pro-

fine. ext. de elect. c. cum inter vniuersas. Item si dominum suum, cum quo ad prælium iuit, in acie periclinantem dimisit, *rub de feu. in quib. casib. feu. amit. c. Hubert. §. qui dominũ.* Et intelligatis, si dimiserit non mortuũ, nec mortiferè vulneratũ, cum ad hoc posset ipse adiutoriũ ei ferre, *rubr. quib. mod feud. amittitur, & rubr. de feu. sine culpa non amittendo, c. si quis miles.* Vel cum eo non laborauit, si potuerit, vt *ff. ad Sillan. l. 1. §. occisorum.* Vnde dicitur, *cum posset opem ferre veliuuamen, & non contulit.*

Quid enim si vassal. erat graui infirmitate detentus, & itaq; dominum non potuit adiuuare; aut quid si manibus abcissis mortiferè vulneratus vass. fugiit, vtpote ad defensionem domini inutilis constitutus, tunc non imputabitur ei, *ar. ff. eo. tit. l. si quis, in graui.* nãq; nec libertus valetudine impeditus, videtur teneri si operas nõ præstitit. Nec .n. potest per eũ stare videri, quo minus operas pstet, *ff. de oper. lib. l. libertus qui.* Item, bene dicitur *non mortuũ, nec mortifere vulneratũ*; quia si mortuũ, vel mortifere vulneratũ dimisit, quia æquè periturus erat dominus, etiamsi secum stetisset vass. tunc nõ imputabitur fugiẽti, *ar. ff. quod vi aut clam. l. si alius, §. est & alia, & arg. Cod. de iur. emphyt. l. 1. in fin.*

Sed qualiter debuit opẽ ferre, seu dominũ iuuare. Respon. corpore suo, cum armis opponendo se cõtra aduersariũ, & voce clamando, vt vicini eũ audierẽt & succurrerent, cum

ipse solus resistere non valeret, *ff. ad S C. Sillani. l. 1. §. occisorum, rubr. de vass. illo qui contra constit. Lotharii, c. se a morte.*

Sed quæritur, an debet vass. vitam domini præponere suæ, vt mori non recuset pro domino liberando, sicut debet facere seruus pro domino, *ff. ad S C. Sillani. §. eodem autem, & §. ore scriptum, & l. cum dominus.* Sed non puto sic vassal. adstrictū domino, sicut seruum; debet ergo iuuare si potest sine sua morte: sicut libertus patronum, *ff. de ope. lib. l. hæ demum: ibi, sine periculo vitæ, & l. artificii*: & vltro in eum se offerre, sc. quamuis non sit à domino requisitus, quando desit eidem domino periculum imminere, vel mortem, vel ipsum obsessum, & tunc si non iuuit, feudo priuabitur, *rubr. hîc leges consuetudinis regni incipiunt, cap. ad hoc, rub. si de feud. contentio sit inter dominum & agnat. vass. c. licet vassallus.*

Sed nunquid debet iuuare dominum semper, siue iuste siue iniuste dominus prælietur? Respon. secundum sententiam obiecti. Excusatur vasallus si ad offendendū alios dominum non iuuit, cum palàm est ipsum irrationabiliter prȩliari: sicut & seruus excusatur qui dominam suam in adulterio depræhensam, & a marito interfectam, non iuuit, *ff. ad S C. Sill. l. si quis, §. si in hoc capitulo*: quorum sententia non placet: ad inhonesta vel illicita fidelitatis debitum non extenditur, *ff. de oper. lib. l. hæ demum.* Cum autem dominus iuste præliatur, vel

vel iustam habet causam defensionis; aut dubitatur, aut habet iustã causam, vel iniustam, tunc vass. debet dominum iuuare tam ad offendendum, quam ad defensionẽ faciendam. Si autem palam est quod dominus irrationabiliter guerram facit, adiuuet eum ad eius defensionem. Ad defendendum vero alium dominum non tenetur. Et si non adiuuit, beneficium non amittit. Si cum voluerit adiuuare poterit, sicut volet: hæc omnia sunt *rubric. hic leges consuetudinis regni incipiunt, c. domino guerram.* & etiam debet dominum iuuare contra omnes, & contra filium, & patrem, & fratrẽ; non tamen contra alium dominum antiquiorem suum; hic est enim ceteris præferendus, *eo c. contra omnes. & arg. ff. de condict. inde. l. frater a fratre.* arg. contra, *C. de excusat. tuto. l. humanitatis.* Sed non iuuabit contra dominũ Papam, vel Imperatorẽ, vel Regem, quorum personæ sunt exceptæ à iuramento fidelitatis, *rubric. de feudis, c. imperialem. §. præterea si quis, & extra. de iur. iur. c. venientes.*

Quid autem si vassallus dominum offendit, dominus tamen veniens ad mortẽ, nihil dixit de offensa in vltima voluntate, neque abstulerat ei feudum, an hæres domini poterit propter illam ingratitudinem antea commissam, feudo eum priuare? videtur quod non; *arg. C. de inoff. test. l. omnimodo, ff. de probat. l. Proculo, ff. ad SC. Sillan. l. 1. §. fin. & C. de reuo. donat. l. vlt.* nisi in ipso transitu mortis fuerit

ingratus; vel in faciendo, puta occidendo, vel mortis causam dando, quod idem poterat, *ff. ad l. Aquil. l. qui occidit, §. fi.* vel negligendo facere quod debebat, vt habes quando dominũ periclinantem non iuuit, vel alia quæ sunt dicta negligendo in ipso transitu vitæ, tunc hæres talem ingratitudinem iudicare poterit & debebit, *ff. de his quibus indig. l. vlt.*

Item quæritur, an teneatur dominum, si potest, à morte liberare, vt dictum est, an tenebitur similiter dominum in captiuitate positum, liberare: si potest redimere, videtur quod sic: aliàs priuatur feudo, sicut filius hæreditate, vt *C. de episcop. & cleric. Authentic. si captiuit.* Comparatur enim captiuitas morti fictione *l. Corneliæ.* quæ fingit captum à die captiuitatis mortuum esse, *C. de cap. & postli. reuer. l. 1. §. super his.* Et videtur mihi, quod si est ei copia pecuniæ, vel verborum vt redemptioni commodum possit facere, quòd debet facere ratione beneficii sibi dati; idem puto, si erat in alio graui periculo constitutus, non autem si dominus iurauit se debitum certo domino soluturum, quod quia non poterit soluere, in periurium incidebat, & vassallus eum liberare posset, suam pecuniam dando, & non facit, beneficium perdit; Sed retinet sibi feudum vassallus, quum ad hoc faciendum non est domino obligatus, *rubric. si de feud. content. si inter dominum & ag. c. habet vasallus domino.*

Sed

Sed quęro, quid si dominus ad summã egestatem peruenit, ita quod fame moriatur, an vassallus tenetur ei in alimẽtis necessariis subuenire? Respondeo sic; aliàs feudum reuocabitur; *argum. ff. de liber. agnos. l. alimenta*, & §. 1. & *in Authent. vt liberi de cetero aureo annulo non fungantur*, §. *illud*, & *ff. de iur. patro. l. diuus*, §. 1. & *l. ingratus*, tenetur enim dominũ à morte liberare: & hoc indistincte dicit, *c. si à morte enim.* quia non refert an ex æquipollentibus quid contingat siue gladio, siue fame dominus moriatur, debet ipsum dominum adiuuare.

Item, si cognouit dominum inclusum, cum potuerit, non liberauerit, feudum perdit, *rub. quibus causis feu. amit. c. obtur.* §. *vel si cognouerit.* Item, qui domino suo iustitiam facere noluerit, feudo expoliandus erit: idem est si seruitium debitum pro feudo facere recusauit; hoc intelligatis si facere poterat; aliàs si valetudine impeditur, quo minus possit seruire, non tenetur; quia non videtur tunc per eum stare, *l. aurea, ff. de oper. lib. l. libertus.*

Quid autem si non obtulit vassall. domino seruitium, quocunq; tempore stetit, dũmodo petẽti domino seruire paratus est, & tũc nõ amittit beneficiũ, *ff. de ope. liber. l. cum patronus.* Tamen si sciat seruitium domino expedire, vel ei magnum periculum imminere, etiam irrequisitus adiudicium & seruitium domino præbere debet, *rubrica si de feud. contentio*

fit, c. h. vasallus, & rubr. hic leges consuet. reg. incipiunt, c. ad hoc, quantumq;. Sic eiicitur conductor, & emphyteuta si non soluit locatori debitam pensionem pro domo, *C. de iur. emphyt. l. 2.* & si pactum fecit locator de non expellendo conductorem; inest enim pacto tacita conditio; sc. si pensiones soluerit; hic si erit in feudo, si seruitium præstiterit, *ff. loc. l. quaero, §. inter.* In summa, notandum est, quod quicunque inducta publica expeditione à domino vocatus, ad eandem expeditionem spatio competenti venire neglexit, feudũ amittit, nisi alium domino pro se acceptabilẽ commiserit, vel dimidium redditus vnius anni domino det, *rub. de feud. c. imperialem.* Sed quod erit spatium competens? Respon. secundum locorum distantiam computabuntur vass. venienti 20. miliaria pro quolibet die, *ff. si quis cau. l. 1.*

Item quæritur, an dominus poterit expellere vassallum de feudo, si male in re feudali versatur, vel si dominus ad egestatem deductus, bonis suis perditis expediat necessario rem feudalem habere; videtur quod sic: nam hoc locatori licet facere cõtra conductorem, *ff. locati, l. edere.* Illud etiam sciendum, si vassallus talem commisit feloniam, quod in curia, in qua boni & graues, sine verecũdia stare non possit, priuandus est feudo, *rubric. de cleric. qui inuestituram facit, cap. Clericus, §. inuitus.*

Qua-

Qualiter perditur feudum per clericationem,

Cap. XI.

Item perditur feudum per clericationem, sc. si vass. factus est sacerdos, vel monachus, vel canonicus regularis; vel sit in sacris ordinibus, *rub. si de feud. contentio sit inter dominum & vas. c. qui clericus efficitur.* sic soluitur compromissum sacerdotio obueniẽte, licèt de nouo possit in sacerdotem compromitti. sic ergo poterit clerico de nouo beneficium indulgeri, *ff. de arbit. l. non distinguemus, §. sacerdotio.* Monachi vero, qui sunt inhabiles ad seruiendum feudum incerte perdunt; quia pro mortuis reputantur, *C. de episcop. & cler. c. eo vobis, in Authent. de nupt. §. distrahuntur. col. 4.* Ratio est, quare prædicti perdunt feudum, quando facti sunt milites Christi, desinunt esse milites seculares, *rubri. hic leges, consuetud. reg. incipiunt. c. ex hoc illud.*

Quid autem si ingressor ante ingressum habebat precarium vel libellum, vel vsumfruct. in reb. alienis, an duret etiam post ingressum viuente illo domino? Respondeo sic. *arg. C. de episcopis & clericis, c. si quis presbyter. arg. ff. de leg. 2. l. pec. §. 1. & ff. de don. inter virum & vxo. l. si mors.* Responsio est, quia in talibus non exigitur seruitium personale, sed reale, quod à monasterio poterit æquè solui. Sed videtur, quod etsi debeat monachus, ingressor vel fa-

cerdos factus seruitium personale, quod illud possit præstare per alium substitutũ similem sibi, *argu. C. de agen. in reb. l. vlt.* & *C. de episcopis & cler. l. quisquis* & si velis hanc opionionem sequi in substituto vide illa quæ notauimus s̃ *qui potest da. feud. §. item dabit in feudum.*

Qualiter perdatur feudum inuasione, CAP. XII.

ITem perditur feudum inuasione quod duobus modis committitur. Primo, si domino rem feudalem adhuc tenente, vassallus sua auctoritate sine domini vel iudicis licentia rem inuadit. *C. vnde vi. l. in vasor.* licet ei dominus rem concesserit in feudum tamen vass. propria auctoritate improbe capit illam, *C. de acquirẽ. poss. l. nec ex vera, ff. eo titu. l. si ex stipulatu.* & *l. inuadit.* nam tunc ius quod in rem habet, propter suam furoris audaciam perdit. Quid autẽ si vassallo possidente alius est ingressus possessionẽ rei feudalis; & vassallus statim cum sciuit regressus est possessionẽ, Respon. non tenetur inuadere, *ff. de vi & vi arma. l. 1. §. vi possidere.*

Qualiter perditur feudum refutatione, CAP. XIII.

ITem perditur refutatione cum vassallus renunciat feudo, *rub. de vassallo qui contra constit. Lothar. c. si vassallus.* Nemo enim inuitus cogitur habere beneficium. *ff. de reg. iur. l. in iur. §. beneficium.* Item sciendum est, quod

si vas.

si vas. feudum reliquit illud transit ad agnatos qui essent successuri in feudo, & filius vas. ad illud nullo modo aspirabit, *rubri. quando vas. feu. priuatur c. vassallus.*

Qualiter feudum perditur cessione, CAP. XIV.

ITem perditur cessione bonorum, & ideo ab omni onere, quod ratione feudi & bonorũ sibi incumbebat, liberatus est cessione bonorum & feudi, *arg. C. qui bonis ced. pos. l. in omni. & l. cum. & filii.*

Qualiter feudum perditur alienatione CAP. XV.

ITem perditur feudum alienatione facta in casu non permisso, *rubri de vas. illo qui contra constit. Lotharii, c. si. vassallus.* & tunc ad dominum reuertetur, vt ibi, & *rub. de feud. c. imperialem*: Quibus autem casibus vass. alienat licite, dictum est s. *quib. mod. feudũ alienatur.* si aũt aliàs alienat, quã permissũ est, pdit illud.

Qualiter perditur feudum præscriptione, CAP XVI.

ITem perditur feudum præscriptione: sc. tricennali, quando feudum est seculare, & alius quam vassallus tanto tempore possedit; & hoc intelligatis quum vassallus est maior 25. an tamen longissima præscriptio currit. Si aũt erat pupillus, non currit; cum & in pupillari

ætate est. Sed ex tunc post pupillarem ætatem bene currit, & omnis actio personalis & realis cõtra extraneum possessorem competens toto tempore tricennali, *C. de præscriptio. 30. annorum. l. sicut in rem*: Si autem erat res ecclesiæ feudalis, tunc 40 an. pręscribetur, *C. de sacrosanct. ecclesi. Authent. quas actiones, & ext. de præscrip. c. ad aures.*

Item si dominus tenuit rem feudalem 30. annis, quam vasallus non petiit ab eodem, similiter præscriptione huiusmodi perdit feudum, per dictam *l. sicut in rem.*

Quid si extraneus possessor emit bona fide à vendente bona fide, an decem annis poterit præscribere? Videtur quod sic: *C. de præscr. 30. ann.* Nam vassallo vendente, hæc vera sunt, si emit ab alio bona fide venditore, non à vasallo: nam vass. vendente nullius temporis præscriptione currente res poterit vendicare, *rubric. de feud. c. Imper. §. 1. ibi: nullius temporis*, &c.

Qualiter feudum perditur petitione seu vendicatione, Cap. XVII.

ITem perditur feudum, si vassallo petente seu vendicante rem feudalem, vel ipso possidente, alius vendicaret, & fuerit iudicatum rem esse aduersarii, *ff. de iud. l. ex diuerso, & ff. de procur. l. Pomp. §. 2.* Sed an isto casu tenebitur dominus vassallo de euictione? Respond. vassali

vaſ. ſine culpa euictus eſt & denuntiauit domino, vt defenderet, tenebitur dominus vaſſallo ad æquale beneficium preſtandũ, quando ignorans vaſſallus de re aliena fuerat inueſtitus. *rubrica qualiter iurare debeat vaſ. c. qualiter. §. cum de re aliena, extra. de iure. pat. c. poſco. & de praben. cum ſer. conſi. & arg. ff. de act. empt. l. ſeruus, §. ſciens, C. de euict. l. actore.* Si autem non denuntiauit domino vt defenderet, non aget. *C. e. l. emptor, & ff. e. l. ſi ideo.*

Qualiter perditur feudum captiuitate, Cap. XVIII.

ITem perditur captiuitate feudum, ſi res feudalis in hoſtium poteſtatem deuenerit, quia efficitur res hoſtilis, vt *ff. de acquiren. re dom l. adeo, §. quidam liberi, in prin.* deſinit eſſe feudum, ſicut deſinit vſufru. *ff. quibus modis vſu fruct. amitt. l. ſi. ager. ab hoſtibus,* iure tamen poſtliminii reſtituetur in priſtinam cauſam vaſſallo, *arg. dicta l. ſi ager.* fundum enim habet poſtliminium, *ff. de capt. & poſtlim. re. l. poſtlim.* re extincta perit feudum puta ſi caſuitate perit tota res feudalis, vel alio modo; ita quod res eſſe deſinat: vt puta ſi caſtrum vel ciuitas deſtructa, velut etiam in ea ducatur aratrũ, tunc exſtinguitur feudum, ſicut vſufruct. *ff. quib. mod. vſufruct. amitt. l. ſi vſufr. ciuitate.* vel ſi res feudalis flumine vel mare vndata ſit. Nam ipſa etiam proprietas eo caſu amittitur, *ff. eo. titulo. l. ſi ager.* Et hoc verum eſt, quando

tota res feudalis perit: Sane si in parte sit extincta, remanet in reliquo feudo, *arg. C. de iure emphy. l. 1. in fi.* eo tamen casu quo per undationem vel destructionem castri periit feudũ restituta re in locum pristinum restituitur ius feudale. *eo. titul. l. cum vsufru. & ff. de seruitut. rusti. præd. l. Actilianus.* Sed an rei mutatione perit, puta domo exusta, vel cissa si silua, vel vineis extirpatis, videtur quod sic: nam vsusfructus sic extinguitur, *ff. quibus modis vsusfruct. amitt. l. repeti. §. rei. mutatione.* Sed puto contra: quia plus iuris habet feudatarius qui est dominus saltem vtiliter, sicut emphyteota *ff. si ager vecti. l. 2. §. fin.* quam vsufructuarius, qui in proprietate nihil habet, *ff. de vsufruc. l. 1.* vnde quamuis domus tua sit exusta, non tamen periit dominium in area, *ff. de contrahen. emptio. l. domum.*

Item amittitur feudum publicatione facta de omnibus bonis vassalli. si enim societas soluerit quia cum fiscus in omnibus bonis eius succedit, pro mortuo habetur. *ff. pro socio, l. actione, §. publicatione.* vltimo sciendũ, quod vass. negatione perdit feudum, si scienter negauerit esse feudum & dominus probauerit esse feudum. *rub. quot testes necessarii ad nouam inuestituram, c. si fuerit.* sic alias per negationẽ perdit quis ius sibi competens. *C. de non nume. pecu. Authent. quod propriam. C. qui potio. in pig. hab. Authen. item possessor. ff. de rei vend. l. si. cum suis similibus.* Debet ergo sapiens vass

di-

dicere potius & respondere, *dubito*, vel *nescio*; & tunc non perdet, *rubr. si de feudo contentio sit inter dominum & cogna. c. vassallus feudum.*

Qualiter feudo finito fructus pertineant domino,
CAP. XIX.

FEudo finito post amissionem qualiter fructus feudi pertineant domino, ad quem & qualiter & quot pertineant successoribus vassalli qui non succedunt: Ideo sciendum quod vt in similibus casibus domini morte fructus diuiduntur. Maritus enim vel eius hæres soluto matrimonio percipit fructus pro rata temporis, quo matrimonium perseuerauit, *ff. sol. matri. l. diuortio.* fructuarii hæres percipit & retinet, totos fructus illius anni, quo mortuus est fructuarius, *ff. de vsufr. l. defunctam. & arg. ff. de ann. leg. l. à nobis.* Si tamen vsufructuarius maturis fructibus non dum perceptis decessit, hæredi suo eos fructus nō relinquet, *ff. eod. l. si in singulos annos, & ff. quibus mo. vsufruct. amitt. l. si vsufructus, & ff. solut. matrim. l. vsufruct.* Sed videtur quod primo dictum est. *ff. de vsufruct. l. si operas.* vbi dicitur, si imperfecto tempore anni vsufru. interierit, pro eo tempore quod superest, pertinent fructus ad proprietatem, & pro tempore quo durauit vsufruct. pertinet vsufructuario seu hęredi suo; et sic pro rata tēporis pertinet. Solutio refert an vsusfructus sit amissus delicto fructuarii, an alia de causa, vt in primo casu

obtineat, quod dicitur indicta *l. si operas.* in secundo casu eius anni, inquo amittatur, retineat omnia percepta vel à solo separata, & nihil ad proprietarium redeat, *arg. ff. de ann. legat. l. à nobis, & dicta l. defuncta.* Secundum autẽ constitutionem feudi, sic diffinitur: Si vassallus decedit sine hærede masculo, & contigerit feudum ad dominum reuerti, sic distinguitur: quia si ante Martium decessit, omnes fructus illius anni ex feudo peruenientes, ad dominũ pertinebunt. si vero post calẽdas Martii vsque ad Augustum, fructus qui interim percipiuntur, ad hæredes vassalli pertineant. Si autem post Augustum, omnes fructus anni percipiet dominus, *rubri. hic leges consuetu. regni incipiunt. c. si vassallus.* veruntamen distinctio nobilior videtur in summa: sciendum est, si vassallus infeudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum suis sumptibus fecerit meliorem, & finiatur feudum, eo casu ad dominum reuertitur, tunc dominus patiatur aut ædificium defieri, aut pretium meliorationis reddat. *rub. hic leges, consue. reg. incipiunt c. si vassallus* arg. contra, *C. de sac. san. eccl. Auth. qui rem.* nisi nõ rerum dominus de eo quod meliorata est res, agere velit.

Qui succedunt in feudo,
Cap. XX.

SEquitur videre qui succedũt in feudo; & in primis sciendũ est, qđ natura successionis

feudi

feudi talis est, quod ascendentes nõ succedunt *§. pater filio, rubri. qui debeant succedere in feudum. c. successionis.* quód est contta legẽ, quod turbato ordine mortalitatis nõ minus parentibus, quam liberis pie relinqui debet, *ff. de in offic. testam. l. nam etsi parentibus:* mortuo ergo vassallo, qui beneficium tenebat prima causa est liberorum. Filiis exstantibus masculis vel ex filiis nepotibus vel deinceps per masculinum sexum descendentibus ceteri remouentur agnati, qui filii succedent æqualiter in feudo, etiam si in aliis bonis patris essent ex disparibus instituti, secundum quosdam: *arg. ff. de oper. liber. l. vt numerus.* ad filias vero seu nepotes & neptes; per nepotes vel per neptes ex filia successio feudi non pertinet.

Qualiter qui succedunt in feudum, necesse habent petere inuestituram,

CAP. XXI.

VIdimus de successione feudi; sed qui succedunt in feudum, necesse habent petere inuestituram à domino infra annum & diem, alioquin si infra annum & diẽ petere neglexerint, beneficio feudi carenr, vt in *lib. feu. c. Hubertus.* & licet ipsemet principalis vas. habet petere illud idem ab hærede domino iam defuncto *vte.* § quia hæredes magis ignorant, quam antecessores, quæ fuerunt facienda, vt magis instruantur hæredes, qui causam ignorantię iustam habent. *ff. de reg. iu. l. qui in alte-*

rius. Ideo post tractatum de successione subiicimus rubricã de inuestitura; vel sic, quia sicut feudum acquiritur successione, ita acquiritur inuestitura, *rub. de feudi cognitione §. sciendum & rubr. de gradibus successionum. c. per successionem.* ideo post tractatum de successione, videamus de inuestitura. ideo videndum quid sit inuestitura est concessio fictæ possessionis facta per indicium alicuius rei corporalis puta baculi, anuli porrecti vassallo aut alii, eo animo assumenti. Ordo igitur talis seruatur, vt dominus concedens feudum fiat inuestitura, qua facta vas. præstat fidelitatem sacramento, vel verbo promittit, quando eo ipso acquisitum sit feudum, vt non iuretur: deinde dominus mittat vas. in vacuam possessioné rei feudalis; quod si differat dominus, vtilitatem ei præstabit. vt *rubri. qualiter iurare debeat vas. domino, c. qualiter autem, §. inuestitura & rubri quid sit inuestitura, c. 1. § nulla inuestitura.*

Sed an dominus liberetur à facienda traditione possessionis, volente præstare interesse sicut videtur *arg. ff. de act. emti. l. 1. & C. eo tit. l. si traditio* contra videtur dominum teneri præcise ad tradendum, *Inst. de dona. §. perficiuntur ibi, necessitatem traditionis, & arg. C. de contrahen. empt. l. vltima.* & facit illud, aliud pro alio inuito creditori solui non potest. *ff. si cert. petat. l. 2. §. 2.* nemo enim retinere potest quod vendidit vel concessit, *causa 1. q. 1. quia studet.* dicatis ad hoc quod prætermissa conden

demnatione de interesse, dominum possessionem, de qua inuestituram facit, tradere compellendum. *rubri. si de feu. contentio fuerit inter dominum & ag. c. si facta*, de feudo inuestitura tunc demum præstando interesse liberatur, quum sine dolo amisit possessionem, *arg. ff. de act. emp. l. si quis seruum, & arg. inuestitura fit*, vt s. tetigimus, quũ dominus tenens in manu sua baculum, vel annulum, vel biretum vel quid aliud corporale. illud tradit in manib. vassalli, dicẽs; Inuestio te tali feudo, tibi concesso à me vel ab antecessorib meis. De huiusmodi forma inuestiturę habetur *ext. de his quæ fin. a præ. sine cons. cap. c. ex ore. extr. de conces. pres. vel. ec. non va. c. proposuit, & de re. iudic. c. cum olim*. Est quasi inuestitura : quum dominus dixit vassallo coram paribus curiæ, *Vade & intra in possessionem talis feudi, & habeas res in feu.* perinde habetur ac si inuestitura fieret, si possessionẽ accepit siue intrauit, *rub si de feu. cog. c. si.*

Idẽ est si aliquis rem nomine feudi per annũ & per diẽ tenuit, domino sciente & seruitium eius quasi à vas. recipiente, prę sumitur inuestitus, *ff. de acquir. pos. l. minus instruct.*, & licet nõ pbet inuesturã factã esse, obtinebit præstito à vas. sacramẽto, quod fuit inuestitus, nisi aliud inducatur contrarium, *rubric. quot test. sunt necess. ad nouam inuest. c. sciendum est.*

Itẽ potest haberi pro inuestitura omnis ille modus, per quẽ diximus possessionem transferri, vt notat s. *quibus modus constitut. feud.*

Item videtur quod inuestitura, cum §.§. sequentibus vsq; ad rub. quibus modis alie. feu. Inuestituram facit dominus vassallo, per procuratorem suum, *ext. de praben. c. accedens.* Sed an dominus potest facere inuestiturã? videtur quod nõ: sed per seipsum facere debet, *ar. C. de iure emphyt. l. vlt.* Vel si non potuerit, faciat per depositionem coram curia, vel paribus curiæ facta, id est, qualemcunque scripturam qua ostendit vassal. inuestitum esse, & feudum suscipere; vel per attestationem, i. in scripturam cum testibus confectam, vt *arg. eiusdem l. sumitur.* Econtra, quod possit per procuratorem inuestire, *argu. ff. de do. l. absenti.* Item potest fieri cuilibet, cui dominus vult facere inuestituram: non enim distinguitur persona accipientis, *rubr. quid sit inuestitura, c. 1. §. personam vero.* Excipiatis tamen hæreticum apostatam & alias personas, de quibus notaui s. *quib. personis potest dari, §. sed an domini.* In domino faciente inuestituram, distinguitur, an sit feudũ vetus, an nouum. si est vetus, potest fieri inuestitura à domino maiore, & etiã minore. Si sit nouum, non potest fieri à minore, quia non habet rerum suarum administrationem, nam qui prohibetur alienare, vt *ff. de re. eorum qui sub tut. l. 1.* feudum dare non potest, nec inuestituram facere, *rub. quid sit inuestitura, c. 1. §. inuestitura & §. noui no.*

Sequitur videre qualiter probetur inuestitura: & circa hunc articulum taliter distingua-

tis qualiter probetur inueſtitura: aut agitur de noua inueſtitura, aut de veteri: ſi de noua, aut dominus habet pares vaſſallos, aut non. Item aut per breue teſtatū poteſt probare vaſſallus aut non. Item, aut poſſidet vaſſ. aut dominus. Item, aut eſt clericus dominus, aut laicus. Item, aut compelleret dominus pares curię dicere veritatem, aut non. Item, aut vaſ. habet aliud feudum à domino, aut non. & prius noua inueſtitura debet probari per cōfeſſionem domini, vel per teſtes, ſc. vel pares curiæ, ſi eos habet dominus; vel per breue teſtatum & ab ipſis paribus curię ſc. duob. vel tribus confirmatum ad hoc, quando dominus poſſidet rem feudalem & vaſſallus petendo feudum ſe aſſerit inueſtitum: Sed ſecundum Mediolanenſes etiam, ſi breue non ſit, ab aliis teſtibus confirmatum, dummodo ſit publicū, eſt ad probationem: & hoc intelligatis & ſeruetis: ſi dominus eſt laicus; ſi autem ſit clericus, tunc indiſtincte etiam extranei admittuntur ad probandum inueſtituram quoniam ipſi clerici plerunq; talia faciunt in occulto. Prædicta autem quæ dicta ſunt, quū laicus eſt dominus ſeruetis; ſcil. quando dominus habet pares vaſſallos, qui licèt non ſint præſentes; tamen exſpectandi ſunt; nec adſint quando debet fieri no. inueſtit. aliàs non poſſet per alios teſtes probari; niſi in caſu ſc quando dominus pares non compelleret iurare, & dicere veritatem. Nam tunc etiam per extraneos

teſtes probatur inueſtitura. Si autẽ inueſtitura dicatur facta ab eo, qui non habet alios vaſſallos, tũc per quoslibet idoneos teſtes aut per publicum inſtrumentum probari poteſt, vel inopia probationũ emergente, per iusiurandũ poterit res decidi. Si vero de veteri feudo quęratur, tunc omnes boni viri admittuntur ad teſtificandum. Hęc diſtinctio colligitur *rub. quid ſit inueſtitura, c. inueſtitura & §. ſin autem, & rub. ſi de feu. contentio, ſit inter do. & agn. c. ſi inter dominũ, & rub. teſt. ſunt neceſſarii ad no. inue. c. faciendum.* Vbi autem à poſſidet vaſſ. feudũ, de quo negat dominus eum inueſtitũ. Si vaſſ. poſſedit feudum per vnum annum, domino ſciente & non contradicente, tunc ſine vlla teſtium probatione poteſt iurare vaſſ. ſe, vel patrem ſuum, vel alium pro ſe inueſtitum fuiſſe à dicto domino, & eius ſtabitur iuramẽto, alioquin parui temporis negligẽtia vel iuſta ignorantia, domino nõ nocebit, ſi iurauerit inueſtituram non fuiſſe, quando noua eſt, & poſt domino iuranti credetur vaſſallo aliquid non probante. Hæc omnia habetis *rub. Si de inueſtitura feudi inter dominum & vaſſal. contentio oriatur, c. ſi aliquis eſt in poſſeſſione, & rubric. quot teſt. ſunt neceſ. ad nouam inueſt. c. ſi inter dominum & vaſ.* Si vero poſſidet dominus vaſſ. in probatione deficiente, dominus qui conuenitur, nullo etiam ſacramento præſtito abſoluetur, *e. c. ſi inter dominum, & c. de eden. qui accuſare,* niſi aliqua pręſumtio pro vaſ.

vel

vel per vnum testẽ; vel quia habebat ab eodẽ domino aliàs res in feudum tunc iudex habita consideratione pro personarũ qualitate & caussę quãtitate deferet cui voluerit sacramẽtũ, *e.c. sacramentũ, et ar. ff de iur. iur. l. amonẽdi.*

Item sciendum, vbi feudum esse antiquum proponitur, puta à patre domini, vel auo, vel proauo datum, & inuestituram factam ab illis; tunc vassallus qui petit feudum, poterit probare inuestiturã per duos pares de domo domini, vel per alios idoneos testes, quo non probante, dominus possidens vel iurabit cum duodecim sacramentalibus non fuisse factam inuestituram: & sic absoluetur; vel eo nolente iurare, iurabit vassal. cum duodecim sacramentalibus, se vel patrem suum inuestitum fuisse ab antecessoribus domini possessoris; & tunc ei dominus condemnetur *rubric. si de inuestit. contentio sit inter dominum & vassal. c. Si quis se vel patrem*: & sic est differentia in probatione feudi antiqui, & noui, vt ex superioribus est notatum.

Item notandum, quod vbicunq; probandũ, sufficit per pares curiæ esse probatum, & sufficit illos fuisse pares tẽpore inuestituræ, licet postea tempore ferẽdi testimonium desierint esse pares, *rubric. de fratribus de nouo beneficio inuestit. c. si inter dominum.* In summa, sciendum, quod si quis tenuit longo tempore rem sibi à defuncto obligatam, quam prætendit & dicit eam in feudum concessam, domino

hoc negante ſc. fore feudum, debet poſſeſſor cum duodecim ſacramentalibus iurare ita eſſe, vel per triginta annos tenuiſſe, nulla conteſtatione pignoris ſibi facta, aliàs eo nolente iurare, filius defuncti iurabit cum duodecim ſacramentalibus feudum non eſſe: quod ſi nō iurauerit, cogetur poſſeſſorem de feudo inueſtire, *rubr. de feud. dato iur. legis commiſſoriæ, c. quidam obligauerat.*

Quo iure petitur feudum,
Cap. XXII.

SEquitur videre quo iure petitur feudum: & ſuper hoc diſtinguendum eſt, aut dominus petit rem feudalem ab extraneo poſſeſſore, aut vaſſallus aut ſimul concurrunt ad petendum: aut vaſſallus petit à domino ſibi feu. reſtitui, cuius nactus eſt poſſeſſionem aut non tradita poſſeſſione petit feu. ab eo. aut etiam dominus forſitan finito feudo, vel amiſſo, petit ſibi rem reſtitui à vaſſ. cum autem dominus contra vaſſ. vel extraneum poſſeſſorem agit, agit rei vendicatione ſi erat directo dominus, *ff. de rei ven. l. 1. et l. ſi in rem*; alioquin agetur publiciana, *ff. de publ. l. 1.* nec poterit poſſeſſor obiicere domino quod alii cōceſſerit rem in feu. olim, quia nihilominus dominus erit adhuc: vt dicimus, in eo quod dominus conceſſerit emphyteutę, *ff. ſi ag. vect. l. 1. §. vlt. Cod. de iure emphyt. l. vlt.* & ab eo vendicabit feudū, amiſſo vel etiam eo finito. Qualiter vero acquiratur

tur dominium & probetur, quia longum esset scribere, omittetur: queratis in summa domini M. nam plene notatum est de rei vend. per totum. Vbi agit vass. contra extraneũ possessorem agit vtili actione in rem; quia per cõcessionem in feudum & inuestituram & traditionẽ possessionis efficitur vtiliter dominus: & ideo vtili act. vendicabitur, in *lib. feu. rub. de vaß. illo qui contra consti. Loth. bona. al. c. si can. Sic est de emphyteuta, ff. si ager vect. l. 2.* idem est in superficiario, *ff. de rei vend. l. superficiario, ff. de superficia. l. 1. §. quod ait prætor*: & ideo dicitur tanquam dominus vass. *rub. qualiter iurare debet vass. c.* 1. §. *rei autem*, & ipso etiã domino absente, defendit, & propria authoritate ipse vel trãsigit, & quod nomine transactionis accipit, suum facit. Nec potest dominus irritare iudicium vel transact. per vas. factam, dum tamen facta sit sine fraude, *rub. si de feud. conten. sit inter do. & agnat. l. si vasallus et de vas. qui contra constit. Lothar. c. si causa.* si autem simul concurrerent dominus & vass. vendicando ab extraneo possessore, dominus directa vas. vti. act. vtilis actio vas. directæ domini pręfertur. nam etiam aduersus ipsum dominum agens vtili, vincit eum, *ff. si ager. vect. l. 1. §. vlt.* & quod dicitur in secundo, .i. ita tamen, si vectigal soluat idem dicitur de vas. si seruitium facit, & hoc seruetis, si agat vas. contra dominum vendicando ab ipso feu. vtili act. si autem ageret & vendicaret ab extraneo possessore,

tunc non vtiliter seruitium fecerit domino, vel non fecerit: quantum enim ad possidentem vas. potior ipso erit, nec potest possidens ius tertii allegare, *arg. ff. si seruitus ven l. loci §. competit.* De suo enim iure, non de alio quicquam agere & excipere oportet *ff. si in vsufru. pe. l. vti. frui.* & hanc act. vtilem efficaciter intentat vas. siue contra extraneos, siue contra dominum, quando traditione possessionis factus est dominns, sic acquiritur dominium *C. de pact. l. traditionibus. C. de act. empt. l. seruum.* vel quãdo successione quęsiuit puta quia successit vassallo, cui possessio tradita erat ante successionem ergo etiam ante quã accipiat possessionem corporalem, rei dominus efficitur, *ff. de rei ven. l. si ager.* siue sit successor, vt habes. *ff. de acq. pos. l. cum haredes.* siue vt legatarius adquem recta via transit dominiũ *ff. de furt. l. a Titio.* subaudi, post aditam hæreditatem ab hærede, *ff. de leg. 1. l. si tibi homo. §. 2.* illud est quod dicitur acquiri successione, *rubri. de feu. c. sciendũ*, quod vt modo dicitur sane intelligendum. Cum autem quæritur feudum non successione, sed acquisitione inter viuos, dicunt quidam sine possessionis traditione per solam inuestituram vassallum, fieri etiam dominũ posse feudi & ab omni persona vendicare, & pro eis facit *rubri. qualiter debeat iurare vas. domino. c. 1. §. rẽ autẽ.* vbi autẽ vas. agit. contra dominũ nulla inuestitura vel possessione secuta, scil. petendo à domino, vt det

det & tradat sibi feudū promissum, tunc dicatis quo iure & qualiter agendum sit, vt plene notaui s. *quibus modis c. const. feud.* §. *Item quaritur cum feu. vsq; ad* §. *quod si dominus permisit.* Cum autem feud. finitum est vel amissum, eo casu quo ad dominum redit potest dominus vendicare à vassall. sicut à quolibet alio; etiamsi non probaret se directe dominum vel de iure ciuili per rei vendic. vel de iure prætorio, vt per publ. succumbet dominus secundum Io. & Azon. Nec sufficit domino ad probationē dominii cōcessio feudi facta ei si postea de dominio cōtendit, *C. de lib. cau. l. ad probationem, & C. loc.* Ad probationem tutius & cōsultius faciet dominus si sua auctoritate expellet vass. de feud. si non seruit ei vt conuenit, *C. de iure emphyt. l. 2.* nec tenebitur ad pœnam quam promisit si expelleret, inest conditio si seruiatur, vel præstetur seruitium. *ff. loc.* Vnde quæritur, §. *inter.* vel si fuerit actum in cōcessione feudi, vt eo finito reddatur domino, sicut plęrunq; fieri consueuit agi ex stipulatu: Si stipulatio intercessit vel ex pacto vestito coherentia contractus feudi, quando in continenti fuit factum pactum, *C. de pact. l. petens.* vel præscrip. ver. quum res certa lege seu pactione vt reddatur data fuit, *C. de re. permut. l. rebus, & l. ea lege.* vel vtili condictione ex lege, *ar. C. loc. l. sed si quis locationis,* secundū quosdam; vel reali actione in factum, *C. de sac. sanc. eccles. l. factam.*

Quis sit iudex in causa feudi,
CAP. XXIIII.

VIdimus, quo iure petitur feudum sed quia parum est esse ius in ciuitate, nisi sint qui iura reddere possint, vt *ff. de orig. iur. l. 1. §. post originem* ideo sequitur *rub. qui sint iudi. in cau. feu. & vbi causa agatur.* vnde ad pleniorem notitiã distinguatis, aut agitur inter duos causa quorũ quilibet asserit se habere feu. in solidum ab eodem domino, aut a diuersis; aut agitur caussa inter dominum & vass. vbi agitur caussa inter duos, quorum quilibet in solidũ se esse dominum dicit tunc iudex ordinarius possessionis cognoscet; quia actor sequitur forum rei, *C. nisi in rem. act. ex. l. actor. & C. de iur. om. iud. l. iur.* Si autem agitur inter duos vass. dicentes se ab eodem domino quemlibet in solidum habere se fore alio potiorem; tunc dominus feudi iudex est vtriusque, vt in *lib. feu. l. imperialem.* §. 1. *si inter duos.* & hoc casu loquitur *Decret. extra. de iud. c. nouit.* & dominus vel curia domini vocando ipsos ad iudiciũ, nemini ipsorũ licebit declinare eius examen, *rub de fratribus de nouo benefi inuesti. c. quidam vas.* §. *illud.* & nolentem respondere dominus constringet & puniet non legitime recusante. *extra. de fo. compet c. extraneus. & c. numerum.* Si vero à diuersis dominis dicit quilibet sibi datum, tũc non dominus possessionis, sed iudex ordi. cognoscet secundum rub.

actor

actor semper forum rei sequitur. extra. de for. cōpet. cũ sit generale; prædicto tamen casu quando vterque se ab eodem domino habere fateatur: si est questio de possessione recuperanda, potest actor conuenire inuadentem vel corã domino, vel coram iudice loci, vbi est possessio constituta, *C. vbi de pos. agi oport. l. 1.* cum agitur inter dominum & val. tunc per pares curiæ à domino sub debito fidelitatis coniuratos feudi questio terminetur. *rub. de feu. consti. Imperialem. c. si vero.* qui pares curiæ domini communi concordia eligantur; &, si discordauerint, dominus prius eliget quos volet, & postea vas. si tamen a domino comprobatur: non tamen est eligendus pro pari, qui fidelitatem iurauit. *rub. de fratribus de no. be. inuesti. c. & si inter dominum.* quid si non sunt pares in curia, quia dominus non habet alios vas. aliàs longo tempore, vel loco sunt absentes, tunc iudex ordin. loci cognoscet, non dominus: quia in sua propria caussa quis non potest esse dominus. *ff. ne quis in sua causa iudex sit. l.* 1. *& ff. de iud. l. si longius.* Idem est, si contentio sit inter dominum dicentem nouum esse feud. & ag. val. dicens esse allodium, seu antiquũ feudum & in eo se succedere, tunc ordinarius erit iudex, non dominus, neque pares curiæ. nã eo ipso quod dominus negat eos succedere, per consequens negat eos habere pares: & in isto casu interim in possessionem reducentur filii per ag. vas. & deficientibus hinc inde pro-

bationibus statim iuramento filiorum seu agnatorum, vt in *consti. Fred. Dei gratia*, §. *si de feudo*. sed si vas. possidet feu. & dominus negat ipsum habere feu. refert an dominus confiteatur eum vas. sed de alia re, an neget indistincte eum vas. si de alia re tantum, tunc cognitio est Pariũ curiæ: quo casu habitaque presumptione pro ipso feudo nõdum agit ex eo, quia aliàs domini est vas. prius inuestitur, quod accipiat quam ab alio inducetur, *rub. de fratribus de no. benefi. inuesti. c. si inter dominum & agna.* si autem nõ habet aliam rem, prius cognoscitur de iure feudi quam inuestiatur, *rub. de vas. illo qui contra consti. Lothar. c. si inter.* Cæterum quando prorsus negat eum vassallum, tunc iudex ordinarius loci erit iudex. Quod si vas. agit possessorio, se a domino dicens de feudo spoliatum, tunc poterit vas. coram quo velit iudice, litigare, vel coram ordinario, vel corã paribus curiæ; itaque si dominus facere iustitiam nolit coram iudice ordinario, vel coram curia, poterit vass. secundum iura feudi ex tũc dominum deprædari. *rubri. de fratribus de nouo benef. inuesti. c. dominus*, §. *si vero.* Illud autem sciendum, quod vas. litigando cum domino non exiget ab eo calumniæ iuramentum, si agat & ipse iurabit, vt quod in alterius persona voluit, hoc & in se ipso fieri patiatur, *rub. quot testes sunt necessarii ad no. inuestit. c. sacramen.* §. *in quibus.* sicut filius non exigit à patre iuramentum calumnie, nec libert⁹ à patrono,

ff. de

ff. de iur. iu. l. usur. §. hoc iusiur. & l. si patronus. Cum autem inter extraneum non vassallum & vas. lis oritur de feudo, tunc siue extraneus possideat, siue agat, erit iudex ordinarius possessoris, vt *11. q. 1. c. experientia, & extra. de fo. compet.* cum sit non dominus, quia esse iudex non potest in re sua, litigatore extraneo recusante, *C. ne quis in sua causa iudex sit, l. 1. sic extra de iud. c. nouit.* & ideo puto errare aduocatos, qui ad declinandum forum ecclesiæ allegant milites possessores esse feudatarios, & rem habere in feud. à rege, coram quo paratos se offerunt respondere: siquidem propter hoc nõ tenetur actor agere coram domino feud. ratione prædicta: quia in illa sua causa non debet esse iudex. Verisimile est, quod domin⁹ feudi iudicaret potius esse suam rem quam actoris iure proprii dominii vendicantis, vt *d. l. C. ne quis in sua causa iudex sit, l. 1. in fi. & ff. de iurisd. om. iudic. l. qua iurisdictioni.* Item merito vt suspectus, poterit recusari, quia est dominus aduersarii. *Extra de offi. deleg. c. causam quæ, & c. insinuante.* Item, per hanc exceptionem non declinatur iudicium ecclesiæ, sed potius se subiiciunt, i. adstringunt iurisdictioni ecclesiæ, apertissima ratione, videlicet quod in regno Hierusalem non est iudex alius secularis, nisi rex vel eius officiarii, qui tamen non possunt esse iudices vt in persona sua, tamen, vt dictum est, si necessario deficiente iudice seculari, ecclesiæ erit iudex; ita fuit hactenus

iuste contra milites iudicatum propter imperitiam aduocati, sc. quod debeant corã iudice ecclesiastico respondere, ad quod facit *Extra. de fo. compe.* licèt ibi ad iudicem secularem recurrere nequeant, §. *vlt.* & *c. ex tenore*; ibi, *dummodo per iudicem secul.* &c. Consultius ergo facient possessores, si conuenti simpliciter asserant possidere, offerantque se paratos corã ord. suo iudice respondere; quo casu actor quicunque sit clericus vel Laicus, debebit reũ coram suo iudice conuenire, seruata regula, Actor sequitur forum rei, *C. vbi in rem act. exerceri debeat, l. 2. ff. de iud. l. hæres absens.* & *in prin.* & §. *fi.* & *in Auth. vt cler. apud propr. epi. conue. 1. rub. coll. 6.* Si vero iudex secularis esset in exhibendo iustitiã negligens, vel remissus, tunc vt diximus, in defectum iudicis secularis succedet iudex ecclesię in iustitia exhibẽda, vt *dicto c. ex tenore, ext. de foro cõpetenti.* posset tamen iudex secularis compelli per censuram ecclesiasticam iusticiam exhibere. *23. q. 5. c. administratores.* Item quando ecclesia dicit se spoliatam propter malefactores suos; eo casu quo maluerit conueniri à iudice ecclesiastico vel seculari. *Extra. de fo. compet.* cum sit generale. nec opinio illorum qui dicunt, si constet summarie iudici ecclesiastico rem ecclesiæ agentis petitorio iudicio, puta instrumento producto, vel aliqua semiplena probatione, quod per hoc laicus compellatur in iudicio ecclesiæ respondere; quia non esset iste canon,

non, in quo summarie sit quærendum nec vnquam inuenietis inter casus summarios cõputatum: nec etiam in tractatu nostro, quem super summaria cognitione duximus deierandum, vnde vltra legem vel contra legem non oportet queri vel accusari. *arg. ff. de loc. pu. fru. l. 1. §. fin.* & prætorium domini iuri denegare non debet, *ff. de feriis. l. 1.* & quantumcunque sit iudices ecclesiæ, vel in diuitibus, vel in pauperibus debitores, non tamen iustitiam alii facere ipsi debent. *Extra. de foro compet. c. ex tenore.* Peccant ergo tales iudices, qui debent omnia secundum leges & ius agere, in *Auth. de defen. ciui. §. interim quod est necessarium. C. de epis. audient. Auth. præsides.* & quãuis iudicibus ecclesiæ placeat sic iudicare, forsitan pro vtilitate & fauore clericorum, & vbi dilatant officium suum, tamen boni iudices nunquam voluntati suæ obtemperant, vel vtilitati obsequuntur; sed quod legum est, tenere & seruare debet, *3. q. 7. c. videlicet ille, §. fi.* Item per hoc turbatur officiũ & debitis iudicib. secularib. ipsi subtrahũt, quod est opprobrium clericis talia facientibus, *C. de epis. & cler. l. repetita.* & ideo qui quærit vsurpare quod suum non est, perdere debet quod sibi competere videbatur, *13. q. §. 1. circa finem. & 25. q. 2. c. Sic decet. & Extra. de censi.* eoque vnusquisque suis terminis sit contentus; nec supra mensuram iurisditionis suæ exspectet augeri. *5. q. 1. c. si quis episcopus.* nec excusari pos-

ſunt quin teneantur ad omne damnum, & intereſſe, quod litigator Laicus ſuſtinebit per duriorem cauſæ ſtatum: quia magis generabitur in expẽſis litis, quia maiores fiunt in curia eccleſiæ, quam ſeculari; & quia oportebit in cauſis appellationum conſequi curiam eccleſiæ, ratione quod erit grauiſſimum litigandi, & propter ſumptus & propter viatum diſcrimina & loci diſtantiam, quæ omnia cauſam conſtituunt duriorem: & ideo ad intereſſe læſo tenetur vt ſumitur, *ff. de ali. in mu. cau. fact. l.* 1. profectò iudex occaſionem damni & damnũ dediſſe videtur, *ff. ad l. Aquil. l. qui occidit. & extr. de iniur. c. ſi egreſſus. & c. fi. in fi.* In ſumma, ſciendum eſt, quod ſi controuerſia ſit inter capitaneos, illa coram principe vel rege finiatur: ſi inter valuaſſores, coram paribus curiæ terminetur, *rubri. de feudis da. minoribus valuaſſoribus, c. ſi capitanei, § ſi contentio.* Sed etiam talis diſtinctio obſeruatur, ſi inter duos aliqua fuerit ſuper beneficio regali controuerſia, quorum quilibet dicit ſe à rege inueſtitum, & altero potiorem; tunc communi rege eadem decidatur, vt *rubr. vt cauſſæ feud. apud pares curiæ ventilentur. rubr. quot teſtes ſunt neceſſarii ad no. inueſtit. c. lex Corrardi.* Sed ſi inter duos pares de aliquo beneficio controuerſia ſit, ſiue aſſerant eundem inueſtitorem ſiue diuerſos, tunc coram iudice vel arbitro finiatur; ſed cum eundem inueſtitorem producunt, ſi dominus poſſidentem guarentare

vo-

voluerit ſine fraude, ipſe obtinebit, niſi aliud contrarium demonſtraretur, *rub. eo §. ſi inter dominos.* Vel dicas illum fore potiorem, cui dominus primo reddit poſſeſſionẽ, *C. de rei vend. l. quotiens.* Sed an alius poſterior etiã beneficio carebit? Reſp. carebit illo; ſed dominus ad æquiualens tradere obligatur vaſſallo illo ignoranti ſibi feudum alienum concedi. Secus eſt, ſi ſciret, tunc ad nihilum ei eſſet dominus obligatus, niſi ſtipulato ſibi proſpexiſſet, *rub. qualiter iurare debet vaſ. domino. c. cum de re aliena. & ext. de iure patro. c. paſtoralis, & ff. de act. empt. l. ſeruus, §. ſi ſciens.* Item ſciendum, ſi miles vaſſallus dicit pares curiæ iuſte hodie iudicaſſe, miles in poſſeſſione remaneat per ſex hebdomadas, & ad præſentiam principis vel regis vadat cum illis, Princeps vel Rex diffiniet quid ſit iuris de feudo ſine culpa non amittendo. Item, quia interdum controuertitur inter dominum & vaſſ. qualiter ſit forma contractus facienda feudalis; & ſuper hoc iudex eſt adeũdus dominus, vt huiusmodi contentio arbitrio iudicis decernatur, *ar. ff. de iur. iur. l. iuſiur. §. ſi de qualitate. & §. non ſemper. & ff. de tutel. & ratio. di. l. ſi tutela.* ideo poſt tractatum quis ſit iudex feudi & quale ſit eius officium, ſubiiciamus de forma cõtractus feudi, cuius ordinatio & contentio ad eius pertinet officium, vt eſt dictum: Fiat igitur ita: Nos H. Dei gratia rex Hieruſalẽ, vel Cypri vel Comes Iopum concedimus, & damus per nos &

successores nostros tibi P. de Auton, pro te & tuis filiis masculis, vel fæminis & nepotibus recipiendi in feudum tale castrum & tales villas, vel possessiones sitas in tali loco, infra fines, &c. de quo feudo præsentibus paribus curiæ nostrę (si dominus habet pares) si vero nõ habet, dicat præsentibus aliis testibus, & notario publico, vel sub sigillo domini & sufficiat satis bene paribus curiæ nostræ, sc. quod, &c. suprà, & te per anulum nostrum, vel biretum vel aliquid aliud inuestimus; & de ipsis rebus tibi possessionem tradimus corporalem, quã accipiendi facultatem liberam tibi damus: & quia iurasti nobis debitam fidelitatem seruare, & tale seruitium præstare; nos tibi vt vassallo nostro seruamus grata vicissitudine fidẽ nostram, de ipso etiã feudo tibi & liberis tuis contra omnes defensionem legitimam facientes. In cuius rei testimonium præsens scriptum fecimus, & in sigilli munimine roborari, vel per manũ talis in scriptis notarii publicari, quod est etiam à paribus approbatum. Datum tertia die Calen. Augusti, anno Domini, MCCCVI. Indict. v.

Qualiter vassallus à fidelitate & obedientia domini liberetur,

Cap. XXIV.

QVia libertas res est inæstimabilis, *arg. ff. si quadru. paup. fec. di. l. fi.* & est facultas naturalis quæ cuilibet facere libet, *ff. de stat. hom. l. liber-*

libertas. & ad hanc aspirat quilibet homo. *arg. ff. de stat. hom. l. 3.* vt iugis hoc minimo gaudii memoriç commendetur, in fi. tractatus nostri ponimus, quemadmodum vass. à fidelitate & obedientia domini liberetur; quia quæ nouissima sunt, melius retinentur. *arg ff. de probat. l. si arbiter.* In primis ergo liberatur à sacramento fidelitatis, si dominus est excommunicatus, vel si sit in banno regis vel imperatoris, vt in *lib. feud. rub. hic regni consue. incipiunt. c. guerram domino. & 15. q. 6. c. nos sanctorum.* & hoc quamdiu ab excõmunicatione & à banno absolutus fuerit, *e. c. domino, in fin.* Item, si est hæreticus Gazarus, Patarenus, quod intelligo post confiscationem bonorum; quia non ipso iure sunt confiscata, sed confiscanda, cum dicat lex confiscetur, *C. de haret. Authent. Gazaros, & extra. eo. c. vergentis.* Item, si commisit crimen Iuliæ Maiestatis, quia tunc ipso iure bona eius sunt fisco tradita, *C. ad l. Iul. maiestat. l. quisquis, & ff. e. l. 1. & 2.* Item, si dominus cõmisit feloniam contra vass. talem, qualem si vassallus commisisset, perderet feudum; tũc dominus proprietatem rei amittet; & facit in *rub. si de feu. contentio sit inter dominum & vassallum. c. de non committente, & rubri. de vassall. illo qui contra constitutionem Lothar. c. ex facto.* Item liberatur ab obedientia domini, vt ei non teneatur obedire; puta, si iubeat dominus vassallo aliquid inhonestum, *ff. de oper. lib. l. hactenus.* vel turpe, *ff. de arbi.*

l. si cum dies. § si compromissor. ff. mand. l. si vero, §. rei turpis, vt plene notauimus vel illicitum, quia nec ex iuramento fidelitatis ad illicita obligatur, vt notaui suprà, de forma iuramenti, *& arg. ff. de reg. iur. l. semper, & extra. de iur. iur. l. quemadmodum.* Item, si est immoderatum præceptum. *Extra eo. tit. c. veniens.* nam nec libertus tenetur patrono in talibus obedire; *ff. de ope. liber. l. si libertus.* Idem est si pręcipitur difficile vel impossibile, *ff. quæ senten. sine appel. rescin. l. si. & facit ext. de iureiur. c. querelam, & c. breui, & arg. ff. quarum rerum act. non dat. l. 1. §. quæ honorandæ.* Item, si dominus non obseruat quæ promisit vassallo, *extra de iur. iur. c. peruenit. & arg. ff. loc. l. quæro, §. item. & C. de pact. l. cum proponat.* fidem enim rumpenti seruari fides graue est, & iniquum, *27. q. 2. c. Agathosa.*

Finis *tractatus* De fevdis *Dn. Petri de Bella Pertica.*

IOHAN-

IOHANNIS PYRRHI ENGLEBERMEI AVRELIAnensis Antecessoris,

De lege Salica, & regni successione, Commentariolus.

CONSTAT Salicam legem Pharamondum prius accitis proceribus, nec citra maturum consilium tulisse; vt ab optimis legibus sanctissima regni auspicia captaret. Quam vel a *sale*; rectaque ratione; vel a *Salica terra*; vel a Saliis sacerdotibus, id est, a generosis sapientibusque viris conditã; vel vndecunque libet Salicam veteres & nos eorũ legibus ascripti nominamus. Ea lege imprimis cauebatur in *tit. de alode, ne femineus ordo Francorum regnum hereditarium nanciscaretur:* ea fortassis ratione, quod virile sit magis, quam femineum regno pręesse; quodque profanior iste sexus minusque adeo consultũ genus, sacratissimi principatus gubernaculo nimisquam ineptum videretur. Adde, quod imperium ceteris nationibus ob sanctitatem initiorum, populi benignitatem, soli felicita-

tem, maxime inuisum virilis generis tutela magis indigeret. Sed quia lex est recta ratio, cui Salica sanctio cum alibi, tum in hac parte reluctari, & naturali ciuilique ac diuino iuri aduersa esse plerisque videri solet, eam rē sine precursore vllo vel primipilo qui bellū aperiat, & pro re nata, & pro vindemiarum feriis ad amussim edisserendam sumpsi.

ARGVMENTA VARIA CONtra Salicam legem adduci solent; cuiusmodi sunt hæc:

PRimum: Nam ista sexuum discretio inducit accusationem naturæ, contra, *l. maximum vicium, C. de libe. parte. l. lege* 12. *Tabul. C. de legit. here.* §. *ceterum. Insti. de legi. agna. suc.* & a iure naturali processerūt primū successiones, § *1. in Auth. de here. & fale. l. in suis. ff. de libe. & posthu. l. omnimodo. & l. quoniam in prioribus. C. de inoffi. testa. l. 1. de succ. edict. l. cum ratio. ff. de bo. damna. Bal. in l. qui contra. C. de incest. nup. Bar. in l. interdū, ff. de condi. inde.* qui scribit successiones esse a iure gentium, & sic videtur damnabilis.

Secundo: Lex xii. Tabularum est illa, per quam ordo successorins institutus est; vt dicit tex. in d. l. lege x*ii*. Tabu. quæ maxime abhorret istud discrimen sexus: ea autem est potissima pars iuris ciuilis, cui hærendum est in hereditatibus deferendis; & sic videtur contraria iuri ciuili & vniuersis legibus, quæ genera-

les sunt & ab omnibus obseruatæ.

Tertio: Ratio naturalis dat legem consuetudini, quæ alioqui dicitur corruptela, *l. scire oportet. §. fi. ff. de excusa. tuto. l. 1. cum vulg. C. quæ sit lon. consue.* vbi dixerunt Petrus & Cynus, quod ratio naturalis nunquam vincitur a consuetudine; eiusque auctoritas vilis est: cũ rationem naturalem habet contrariam, *gl. in c. frustra. 8. distin. ergo consuetudo huiusmodi est iniqua.*

Quarto: Statutũ omne damnatur per quod inter liberos inęqualitas inducitur, quorum appellatione feminæ continentur, *l. qui filiabus. ff. de lega. 1. l. iuste. ff. de ver. sign. l. Lucius, §. filia. ff. ad Trebel. & ibi Bar. l. tres fratres. ff. de pac. & in l. fi. ff. ad Tertul.*

Quinto: Imperatores suis legibus multa beneficia feminis contulerunt, propter obsequia, quę maritis pręstãt, & partus pericula: & huiusmodi causas quæ nos in miserationẽ trahunt feminarũ, *vulgata l. assiduis. C. qui potio. in pig. ha.* tantum abest vt aliquid eis iniquum atque infestum statui debeat.

Sexto: Nam si statuto caueatur quod filia dotata non succedat; si tamen masculi fratres defecerint, succedat: ergo masculis deficientibus & sublatis, ad filias deuoluetur hereditas; nec debent perpetuo repelli, ita voluit *Bar. in l. fi. ff. ad Tertull.*

Septimo: Nam priuatio ista regni diminuit earum dotes contra publicum ius, *l. pa-*

ctum. l. licet. C. de pact. l. 1. ff. solu. matri. l. hac conditio. ff. de condi. & demon. & aufert liberã testamenti factionem, contra *l. stipulatio. ff. de verbo. obliga. cum similibus.*

Octauo, Scribit Andreas de Isernia in titulo, *qui feudum dare possunt, §. hoc autem.* speciale esse in regno Siciliæ vt existentibus masculis, femina excludatur, & extra illud regnum talis consuetudo reprobatur, tanquam inducens (inquit) sensum legi naturali dissonum, contra *l. 2. C. de condi. inser. l. conuenticulam. C. de epis. & cle.* longe intolerabilior est lex Salica per quam omnino repelluntur.

Nono: Filia etiam dotata non est a successione patris repellenda; nec tenetur stare doti, *l. 1. C. de legi. here. l. pactum, C. de pact.* per scrib. si non debet fieri per pactum: ergo nec per statutum: vt *d. Bal. in repetitione l. 1. C. de sum trini. & fide Catho.*

Decimo facit: Quia per hanc legem tollitur legitima, tolluntur alimenta, nutritur peccatum: & inuitatur quis ad malum, & ad discordiam contra omnem iuris dispositionem, *l. si quis ingenuam. §. in ciuilibus. ff. de capti. & postlimi. reuer.*

Vndecimo: Quia voluntas testatoris est lex; vt in *l. 1. C. sa. san. eccle. cum si.* Sed testator non potest tollere legitimam; ergo nec consuetudo nec statutum, *c. Raynutius. de testa. l. in quartam. ff. ad le. falci. Auth. sed cum testator. C. eo.* nec principis rescriptum, *l. si testamentum*

tum. C. de testa. Ea enim quæ in alterius præiudicium tendunt, a statutis & rescriptis intelliguntur exempta, *l. 2. §. si quis a principe. ff. ne quid in lo. publi.* & alia id genus motiua.

Duodecimo facit: Quia per constitutiones imperiales insertas in Corpore iuris, tollitur omnis differentia sexus in successione descendentium, agnatorum ascendentium, *§. fi. de succes. ab intesta. insti. §. nos vero. Institu. de legit. agna. succe. §. sed cum antea. Instit. ad Tertul. cum si.* Et nominatim sublatū est ius illud, quo non erat necesse filias nominatim exheredare sicut masculos, *per tex. in §. sed nostra, Institu. de exhere. liber.*

Tertiodecimo: Statutum est in dubio interpretandum, vt non corrigat ius commune, *c. cum dilectus, de consuetu. l. 2. C. de noua.* & vt ius tertii non lædat, *l. fi § in computatione. C. de iure delibe. & ibi scrib.* nisi saltem sit expressa mentio & clausula de iure communi. Sed legitima debetur de iure communi, & debet relinqui titulo institutionis integra sine onere, & de omnibus bonis defuncti, *l. Papinianus. §. quoniam autem quarta, ff. de inoffi. testament. l. omnimodo. & Authent. nouissima. C. de inofficio. testam.*

Quartodecimo: Quia cessante causa prohibitionis, cessat prohibitio, *l. vbi lex, ff. de vsuca. l. generaliter. C. de episcop. & cle.* Sed & si in femina subsit ratio illa statuti, quo interdicitur eis principatu & feudo; vt *con. prima, §. hoc*

autem. qui feudum dare possunt: quia bellare non possunt: & earum sexus illi negocio non cõuenit. Cessat tamẽ in filiis ex eis procreatis, & sic ad filios saltem perueniret: vt qui ex Isabella Edoardi coniuge Philippi Pulchri filia procreati forent, Francorum regnum accipere debeant.

Quintodecimo: Si quis acquisierit emphyteosim pro se & filiis, intelliguntur etiam filię comprehensæ. ita scribit *Salic. in l. 2. C. de iure emphy. quæstio.* 2. *& Bar. in l. vt iusiurandi. § si liberti. ff. de oper. liberto.*

Sextodecimo: Textus aureus in *l. postliminium. §. fi. ff. de capti. & postli. reuer.* ibi, *homines cuiuscunque sexus, qui quamuis pugnare non possint, vsui tamen & consilio adesse possunt.* Et alibi legitur, quod Fuluia detexit coniurationem Catilinæ, *l. in quæstionibus. ff. ad l. Iul. maiesta.* vbi corrupte legitur, *Iulia* : *& Amazones bello potentes erant.*

Decimoseptimo: Filia non potest grauari in legitima, neque per fideicommissum, neq; aliàs, sicut nec in bonis propriis, & suorum heredum appellatione continentur, *l. coheredi. § cum filia. ff. de vulga. & pupil. sub. Cyn. in l. ex tribus. C. de inoffi. testam.* Paul. de Castro in consi. 44. incipien. Substitutio prædicta.

Decimooctauo: Est intolerabile hoc statutum & odiosum, cum sit causa altercationis & bellorũ inter liberos, & mouet fraternas acies, contra, *l. fi. C. com. vtriusq. iud. l. cum oportet. §.*

sinant

de bo. quæ libe. l. illud. C. de coll. l. inter filios C. fa. her. l. si ff. de rerum di. vbi de Remo & Romulo, per quas dissensiones læditur respublica, *l. si quis ingenuam. ff. de cap. & post li. re.*

Decimonono facit quod scribit *Bal. in l. 2. in fi. C. quæ sit lon. consue.* quod statuta quib. feminę excluduntur, sunt inhumana & contra naturam, quam lex imitari debet. *§. maiorem, Instit. de adop.* idem in *l. 3. C. si pendent. appel. mors interue.* dicit quod illud statutum est irrationabile. quod dictum ponit *Petr. de Ancha. in c. canonum statuta. col. penul. de constit. Petr. & Cy. in l. non sine. C. de bo. quæ libe. Bar. ipse in l. cunctos populos. in 6. q. C. de sum. tri. & fid. Catho. Bal. in l. si defunctus, C. de suis & legit. Alex. in consi. 16. in primo volumine. Andreas Sicul. in consi. 38. in 2. volu.*

Vigesimo facit, quod elegãter scribit Io. Fa. secunda in iure ciuili Galliarum glorialia, in *Auth. ingressi, C. de sa. san. ecc. in pe. col.* quod in regno Francię non habet locum ius feudorũ; quia feminę succedũt in feudo sicut masculi; & sic cessat dispositio, quæ feminas excludit in regno Francię, per quam videtur tolli lex Salica. Cui addite, quod ex consuetudine Anglicana femina succedit in feudo, vt *Glossator pragmaticæ sanctionis in proœmio, in ver. consangui.* qui tamen dicit, quod in regno Anglię non succedunt. & huiusmodi pleraque argumenta, quibus leg. Salicæ sanctio potest impugnari de iure ciuili. Sed hæc pro angustia

temporis sufficiant.

Secundo principaliter iuri canonico repugnat, vt scribitur in *c. dilecti. de arbi.* quo de cuiusdã nemoris vsuario fuit compromissum in reginam Francorũ. Et quamuis secundum regulas iuris ciuilis feminæ a publicis officiis sint remotæ; quia tamen (inquit tex.) iuxta consuetudinem approbatam, quæ pro lege obseruatur in partibus Gallicanis, feminę prę-cellentes in subditos iurisdictionem habere noscuntur. id confirmatur in vulgato *canone monomachiã. 2.q.5.* vbi summus pontifex scribit ad Brunichildem reginam Francorum, & in *c. si quis. 23. q. 4. & in c. cum deuotissimam. 12. q. 2.* causam incendiariorum committit Constantię reginæ Galliæ. Item scriptum est de Comitissa Flandrensi, quę confert prębendas, in *c. dilecto. de testi.* & habent iura patronatus, & multa similia priuilegia quæ conceduntur feminis de iure canonico, sicut masculis, quæ passim occurrunt legentibus, quibus nolui marginem producere, quæ omnia videntur damnare legem Salicam.

Tertio repugnat iuri diuino. Scriptum est enim Numeri 27. Accesserunt filię Salphaad, steteruntque coram Mose & Eleazaro sacerdote, & cunctis principibus ad ostium tabernaculi federis, atque dixerunt: Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quę concitata est contra Dominum sub Chore: sed in peccato suo mortuus est. Hic nõ ha-

buit mares filios: cur tollitur nomen eius de familia sua? quia non habet filium. Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri: Retulitque Moses causam ad iudicium Domini. Qui dixit ad eum, Iustam rem postulant filię Salphaad: Da eis possessionem inter cognatos patris sui; & ei in partem succedant. Ad filios autem Israel loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hereditas: Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos; quod si & fratres non fuerint, dabitis hereditatem fratrib. patris eius: sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his, qui proximi sunt: Eritq; hoc filiis Israel sanctum lege perpetua; sicut & præcepit Dominus Moysi, vt illic scribitur. Quod feminæ regnorum gubernacula susceperint & bella gesserint & iudicauerint sicut viri, & lege diuina & veteri testamento constat, sicuti scribitur *3. Reg. c. 10.* Regina Saba ex finibus Austri venit audita fama Salomonis, tentare eum in ænigmatibus, & audiuit sapientiam eius: & dedit ei centum & 20 talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas preciosas. Item scribitur Iudith 14. quod Iudith abscidit caput Holofernis in opprobrium eius; & suspendit supra muros ciuitatis. Et Semiramis Nino marito ad mortem adacto pro filio virilem sensum mentita, regno præfuit, diuque regnauit. Nonne & Orithræa & Pentesilea & aliæ Amazones regnabant, & cum Hercule

etiam ipso acriter dimicabant? Et vxor Mithridatis bello assueta, virũ armata sequebatur, & virago illa Carthaginensis & Ioanna puella, quæ diuinitus armata est aduersus hostem Francorum. Apud Getulos mos erat, vt agri à feminis colerentur, domus ædificarentur, & huiusmodi virilia exercerentur, a viris autem muliebria; sicuti aliis proceri reges placebant, aliis pingues & obesi. Est enim Græcum prouerbium, quo varii cuiusque regionis mores probantur, &, vt vulgo dici solet, vnaquæque prouincia suo abundat censu, nomos & chora, i. lex & regio. Quisque enim populus habet suos ritus, suas leges, sua iura municipalia: hinc & plerunque vsu magis & statutis regimur, quam iure Romano; præsertim cũ rex Francorũ Christianissimus Rom. Imperatorẽ superiorem non habeat, vt not. in *c. per venerabilem. qui fil. sint legi. cum si.* Mulieres autem in veteri Testamento populum iudicasse, quicunque librum Iudicum legerit, non ignorat; vbi Deibora posuit tentorium suum in monte Effraim sub arbore palmæ; & ibi iudicabat filios Israel; & ad hanc rem pluribus exemplis opus non est. Nunc in contrariam partem disputandum, & pro Salica lege concludendum.

Pro l. Salica facit primo, quia de iure feminæ non succedunt in feudo, multo minus in regno, per *tex. in d.* §. *hoc autem.* quia ius feudorum est ius, vt no. in *rub. feudorum per scrip.*

per

per tex. etiam in c. dilecti. de arbi. in arg. & Imol. & Gemi. in c. grandi. de sup. negli. prala. lib. 6. nisi consuetudine inducatur, quo succedant, ita *d. glo. prag. in loco allegato.* & istud probatur aliis modis, positis in præceden. parte. Et sic consuetudo ista est conformis iuri.

Secundo facit: quia facta est pro conseruatione familiarum, quas conseruari interest reipub. *l. 1. §. publica. ff. de ven. inspi. in ver. dignitas familiarum salua sit, l. 1. C. de adul. per Cyn. & Iaco. de Are. & ita no. Bal. in d. l. 1. C. de sum. trini.* vbi dicit quod istud potest fieri per pactum iuramento vallatum, vt excludatur quis a succedendo; sic etiam per statutum. vt *c. 2. de pact. li. 6.* quia per masculos, non per feminas ius agnationis conseruatur de iure ciuili, per *tex. in §. 1. Institu. de legiti. agna. successio.*

Tertio: quia sunt incapaces eorum omnium, quæ requiruntur ad regnum, & potissimum belli; vt in *d. §. hoc autem.* & consilii seu iudicii, vt in *l. femina. ff. de iudi. l. 1. §. sexum. ff. de postu. cum simi. faciunt tex. in c. 1. §. filia. de succes. feu. c. 1. de grad. cogna. in feu. c. 1. de natura feu. c. 1. episcopum vel abbatem.* Specu. alia ponit in *tit. de feud. §. quoniam, ver. 25.*

Quarto: quia sunt quinque rationes conformes iuri communi, quibus tale statutum vel lex excludens feminas fundatur & roboratur, quæ ponuntur *per Bal. in l. fi. in 4. col. C. de suis & legi. & d. Bal. in l. 1. ff. de senato.* quod & si in regno Franciæ contigerit malè, & An-

gli diu potiti sunt regno; & istud non accidit ex malo iure Francorum, sed ob quædam alia peccata eorum, vel ex causa, quæ est tamen in mente diuina; quia ius Francorum est clarum.

Quinto facit, quod tenent *Bal. Fulgo. & Pau. de Cast. & alii contra Bar. in l. fi. C. de pac.* quod huiusmodi statuto excludente feminas, non potest pater neque testamento, neque pacto facere vt filia succedat; quia ius quæsitum est masculis, nisi fieret tale pactum mediante dispositione legis vel consensu filiorum, de quo remitto illuc ad Iason. & alios moder.

Sexto facit *text. in l. 1. ff. de senato.* quod dignior est masculus quam femina in rebus publicis. ex quo dicit, infertur masculos potius debere in regnis succedere quã feminas. Addit ad extẽsionem legis nostræ, quod vbi non succedit femina, non succedit etiam filius eius & descendentes ex ea, ob radicem descendentem, per *tex. in c. ad apostolica, de re iudi. lib. 6.* Ideo nullum ius potuit Anglus prætendere inquit *Bal. in l. quia, in causato nõ potest esse plus virtutis quam procedat ab influenti potentia causa.*

Septimo facit a simili. Nã licèt monachi regulariter nõ admittant per ingressum iura suitatis, vt *l. Deo nobis. C. de epis. & cler. et ibi Bal. et alii. et Bal. in l. cum in adoptiuis, C. de adoptio. et in l. sub conditione. ff. de libe. et posthu.* Fallit in regno, ducatu & baronia, quæ non transeunt in mo-

in monasterium, vt dicit Baldus fuisse in beato Ludouico. Theodericum scribunt Historici ex monasterio, quo inclusus erat ad regnum accitum & reuocatum. Et Chilpericum ex sacerdote regem factum. De beato Ludouico quod scribit Bal. mihi non constat, neque vspiam legi.

Octauo facit, quod scribit *Pau. de Cast. in consi. 364. in antiqu. consi.* quod si femina proximior in gradu excluditur per agnatos masculos ad conseruationem familię, multo fortius excludũtur descendentes ex ea; quoniam sunt remotiores: & quamuis statutũ quod est contra ius commune, nõ extendatur extincta vna persona; tamen vbi est eadem ratio, extendi debet, maxime cum est vnica vel necessaria & finalis ratio. Et habet locum illa vulgaris regula; *Si vinco vincentem te, te quoque vinco.* ita scribit & tenet Albertus Brunus Ascensio in tractatu suo de statutis.

Nono facit auctoritas *Bal. in l. si paterfa. §. in arrogationibus, ff. de adop.* qui dicit, quod si filius vnicus regis ingreditur monasterium, peccat, & non meretur; & papa potest dispensare cum eo ne regnum pereat. *argu. illius §. post Pet. de Ancha. quem refert in consi. 335.* vbi refert quendam Remigium monachum & sacerdotem de sanguine regio Arragonum; qui cum dispensatione apostolica duxit vxorem, cum alii defecissent: ex qua suscepit Petronillã, quæ successit in regno, nupta Raymun-

do Comiti & Marchioni, ex quibus ortæ sunt octo generationes illius domus Arragoniæ. quod etiã tetigit Iason in *l. fin. C. de transact.* & illuc remitto ad varias allegationes, remissiones, quas non refero.

Decimo facit, quod statutum illud est adeo fauorabile ex parte masculorum, vt comprehendat etiam nepotem ex filio, qui excludit feminam, quamuis non comprehendat neptem ex filio, quod dictum ait *Pau. de Cast. hic tenere omnes. & Ang. in consi. 244. & Pau. in con. 169.*

Vndecimo facit tex. in *l. meminimus, C. de suis & legi. here*, vbi sublata media persona, per quam nepos admittebatur, amplius non debet admitti, facit *l. et heredi. §. 1. ff. de pact.* & dicit *Dyn. in c. indultum, de reg.* quod sublatis mediis, extrema videntur sublata, & *l. 1. §. eius rei, ff. de offi. eius cui man. est iurisdi.* & ne fiant per saltum successiones.

Duodecimo facit, quod no. in *l. 1. in fi. et l. immunitates, ff. de iure immu.* quod immunitates concessę posteris non extenduntur ad eos, qui ex femina descendunt. ibi, immunitates personis datæ, generi posterisque datæ custoditæque ad eos qui ex masculis, non ex feminis nati, pertinent; qui tex. est singularis; & scribẽtes in *d. §. hoc autem*, dicunt, quod facere pacem cũ heredibus interfecti, non extenditur ad feminas per multa ibi per eos tradita.

Tertiodecimo: quia rex Francorum Chri-

sti-

ſtianiſſimus & meritiſſimus de eccleſia catholica eſt imperator in ſuo regno, & non recognoſcit ſuperiorẽ, *capitulo per venerabilem. Extra, qui filii ſint legitimi, cum vulgaribus. l. 1. §. ſui, ff. de rei vendica.* Ergo potuit huiuſmodi legem condere ſine auctoritate ſuperioris; quem non habet ex conſilio prudentum.

Quartodecimo facit: nam id quod dicitur quod lege *12.* Tabularum improbatur diſpoſitio, quæ accuſat naturam, verum eſt in his, quæ naturæ repugnant: vt eſt, quod in bonorum poſſeſſione deterior ſitconditio feminarum, vt *d l.* maximum vitium: vbi eſt eadem ratio quę in maſculis: ſed eſt naturâ inductum vt femineus ſexus maſculino eſſet inferior & ſubditus, & fragilitas ſexus in feminis eſt a natura inſtituta, *l. quiſquis, §. ad filias, C. ad l. Iul. maieſt.* quæ eſt potiſſima ratio, per quã feminę a feudis & regnis repelluntur: vnde attenta ratione & cauſa finali, dicendum eſt hanc l. non eſſe contrariam, ſed conformem naturæ.

Quintodecimo facit: Nã verum eſt id quod dicitur, quod conſuetudo debet interpretari & ordinari ſecundum ius commune, quando eſt dubius intellectus conſuetudinis; non quando eſt certa: de quo remitto ad titulum *quæ ſit long. conſue.* & materiam: neque etiam eſt ſola conſuetudine hoc inductum, ſed lege certa & ſcripta in regno facta & condita cum conſilio & forma legis condendę.

Sextodecimo: quia quod dicit Baldus, quod

non potest fieri per pactum, non potest fieri per legem, habet multas responsiones. Sed si satis erit quod procedit, quando ob turpitudinem vel impossibilitatem non potest per pactum fieri; vel quia contra bonos mores non potest etiam per legem fieri; vt no. in *l. non impossibile. ff. de pactis.* vbi est melius argumentum a contrario: quod non potest fieri per legem, non potest etiam per pactum: & procedit negatiue, non autem affirmatiue: quia id quod fieri potest per legem, nõ tamen per pactum vsque licet: vt ibi scrib. notant amplissime. Ex quo infero, quod quamuis per pactum fortasse istud non liceret, quia renunciatio non potest fieri per filiam iuribus prius citatis in priori parte, tamen fieri potest per legem, quæ est maioris potestatis, cui possunt addi multæ rationes euidentes & cuique notissimæ.

Decimoseptimo: quia feminæ licèt in bonis succedant, non tamen in honoribus. *l. femina. ff. de senato.* Sed regnũ est ius quoddam cõsistens in dignitate & honore, præeminentia, potestate, consilio, administratione reipublicæ: vt hi qui de regno & principatu scribunt Latine exposuere: a quibus longe arceantur feminę de iure communi. Et scribit Plato, *Beatas esse respub. quæ vel a philosophis reguntur, vel quarum principes philosophorum consilio vtuntur:* quod a feminæ imperitia & leuitate longe abest. Cum plerunque etiam aduersus

com-

commoda propria earum consilium laboret. vt *l.4. C. de sponsalibus.*

Decimooctauo: quia ex duobus periculis & malis minimum est eligẽdum, vt iura apud Canonistas passim occurrunt, *13. distin. c. duo. 22. q. 4. c. quod Dauid.* vnde priuatum interesse, seu iniuria quæ infertur vni feminæ, non est tanti ęstimanda, vt non publico bono consulatur: quod argumentum potest multis locis confirmari, quę sunt in iure vulgaria. Et adde quæ scribit Bar. in *l. 1. C. de mulie. & in quo loco libro 10. & l. in multis. ff. de statu homi. l. femina. de regu. iur. cum similibus.*

Decimo nono: quia regia potestas est à Deo instituta, vt iudicium rectum reddatur; & fiat quod bonum & æquum est, *c. regnum,* 23. *q.* 5. vt ecclesiam ab hostibus tueatur: & ei insidiantes propellat. *c. Maximianus.* 23. *q.* 5. vt hęreses vrgeat. *c. quando.* 23. *q.* 4. vt blasphemantes puniat. *c. non inuenit.* 23. *q.* 4. vt se & suos prudenter, honeste & iuste regat, *12. q. 1. c. duo,* & huiusmodi munera quæ regiæ potestati incumbunt; quorum omnium exercitium non admodum etiam consultissimis mulieribus conueniunt, & vix concurrunt: vnde *Bar. in l. 1. ff. de legibus.* dicit per illum tex. quod mulieres non debent adesse statutis condendis.

Vigesimo: quia iura ciuilia & canonica exhorrescunt vt feminæ virilibus officiis & habitu fungantur. *c. si qua mulier. 30. dist. c. infamis, §. tria. 3. q. 8. c. certis de causis, 15. q. 3. & fere*

per totum. c. hæc imago. 33. q. 5. videmus enim quod a tutela pupilli; quia est virile munus, repellitur. *l. 1. C. quando mulier tuto. offic.* multo magis a tutela reipublicæ. & scribit beatus Thomas *secunda secundæ q. 64.* & multa huiusmodi ciuilis & pontificii iuris fundament congeri possunt; sed non omnia decreui ad amussim cumulare, cum laboris potius quam ingenii videatur. Incontinentiam vero, animi facilitaté, ingenii leuitatem, & ad publica munia ineptam habitudinem mulierum illæ sati superq; Romanarũ matronarũ insidiæ: quæ in maritotum necem cõflauerunt, vt publicis consiliis interessent, olim a Papyrio puero detectæ docuerunt, & Gallicanum regnum v plerisque prudentissimis, & castissimis, nun maxime velut reflorescit; quas Lucretias omnes, Saras, Rebeccas, Sabinas illisque long clariores admiremur: quarum consilio optimo etiam in arduis aliquando reipub. negociis vti non est vetitum; ex quibus non nisi maximi & optimi heroes prodire potuerunt: it olim feminarum procacitate fœdatũ est. Qu enim Clotildis reginæ (quæ filiorum in patr necem animos instruxit) perniciem non de testetur? Quis Brunechildis crudeles ausu Quis Fredegondæ pellicis insidias? Et illiu quod aiunt procacitatem incredibilem & in gratissimam libidinem, quę concubinos apu Lutetiam ex altissimo loco præcipites facie bat? & huiusmodi inconsultos feminarum c

nat

natus non exhorescit. regnauit Semiramis, regnarunt & Amazones, & Ioanna Siciliæ & plereque id genus feminæ, quarum proteruia & insania fœdisque exemplis historicorum libri magis inquinati sunt quam ornati. quæ singula recensere, magis impudens esset, quam necessarium. Mulierem enim forte quis inueniet? Quibus denique argumentis satis superque constat, legem Salicam in eo capite, quo feminis regno interdicitur, non esse iniquã. Sed expedit vt pace amica omnia componantur, quod Deus faxit iuxta *l. generali, ff. de vsufr. lega.* In cuius nomine huic operi colophona imponemus, quod rogamus vt æqui bonique consulatis, & efficiat ne causa ista amplius gladio decidatur. Ego enim non irritandi cuiuspiã causa hęc scripsi, sed partim Gallicani nominis augendi, partim animi exercendi gratia.

FINIS.